AUTHOR:

WASSNER, JULIUS

TITLE:

DE HEROUM APUD GRAECOS CULTU

PLACE:

KILIAE

DATE:

1883


Master Negative #

92-81088-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



 Wassner, Julius, 1859-
De heroum apud Graecos cultu; dissertatio philologa qvam... defendet Iulius Wassner... Kiliae, apud Lipsium, 1883.
55 p. 21½ cm.

Thesis, Kiel, 1883.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm
REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2-13-93
INITIALS mby
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.





DE HEROUM APUD GRAECOS CULTU

DISSERTATIO PHILOLOGA

QVAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE IN ACADEMIA REGIA CHRISTIANA ALBERTINA KILIENSI IMPETRANDOS CONSCRIPSIT ET UNÀ CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE XI MENSIS MAII ANNI MDCCCLXXXIII HORA XII IN AULA ACADEMICA MINORE PUBLICE DEFENDET

IULIUS WASSNER
HADERSLEBIENSIS

ADVERSARII ERUNT

ERICUS VÖLKER
PAULUS ILGEN
GUILELMUS WASSNER

KILIAE
APUD LIPSIUM ET TISCHERUM
MDCCCLXXXIII

HENRICO CHALYBAEUS

THEODORO HANSEN

S.

Imprimatur.
Dr. R. Pischel.
h. t. decanus.

CAPUT I.

Inter viros doctos, qui de rebus sacris Graecorum scripserunt, perpauci quaesiverunt, quid sit statuendum de necessitudine, quae intercedat inter heroum apud Graecos cultum atque mortuorum religionem. In quibus alii venerationem, quam mortuis tribuere solebant Graeci, ex heroum cultu originem traxisse existimabant [1]), alii mortuorum religionem primariam fuisse putabant [2]), alii denique neque huic neque illi aperte favere videntur sententiae [3]). Primum igitur nobis quaestionem de heroibus instituturis videndum est, quonam modo de origine cultus heroum iudicandum sit.

Duo extant sacrorum genera, quibus Graeci heroas colere atque venerari solebant. Alterum genus est illorum, quae sive concremata sive defossa in terram aut defusa heroibus delectationi usuique esse putabantur. De quibus ut primum agam,

---

[1]) Cf. Nägelsbach, *Die nachhom. Theologie* p. 424: '*Aus dem Heroenkult ist dem bei Homer nur im Keime vorhandenen Totenkult Ausdehnung und Bedeutung erwachsen.*' et pag. 109: '*Aus diesem Heroenkult erwächst allmählich ein Kultus der Toten überhaupt;*' Chr. Petersen, *Der Hausgottesdienst der alten Griechen. Zeitschr. f. Altw.* 1851 p. 118: '*Der aus dem Heroendienst unmittelbar hervorgegangene Totendienst.*'

[2]) V. Limburg-Brouwer, *Hist. de la civilisat. etc.* VII, 456: '*En général, le culte des héros n'était qu'une suite des honneurs funébres qu'on rendoit aux défunts.*' Creuzer, *Symbolik* III p. 46. Grotefend, *Hall. Encycl.* s. v. *Heros.* Wachsmuth, *Hell. Altert.* ^{2}II, 431. Preller, *Gr. Myth.* ^{3}II, 6 (cf. tamen I, 674).

[3]) Vide viros summos Nitzsch, Adnott. ad Hom. III p. 165; Welcker, *Gr. Götterl.* I, 797.

scis me ea in animo habere, quae communi *ἐναγισμάτων* nomine significabantur, quo verbo opponebantur superorum deorum sacris *θυσίαι* appellatis [1]). Intellegebantur illa notione libationes et hostiae; sed veri simillimum videtur, quoniam aliis quoque numinibus placentae sacrificabantur [2]), etiam heroibus pro *ἐναγίσμασι* liba consecrata esse [3]). E. g. Antiphanes (ap. Athen. VII, 309 d) expressis verbis testatur placentas heroibus dedicatas esse:

ἥκω πολυτελῶς ἀγοράσας εἰς τοὺς γάμους,
λιβανωτὸν ὀβολοῦ τοῖς θεοῖς καὶ ταῖς θεαῖς
πάσαισι, τοῖς δ᾽ ἥρωσι τὰ ψαίστ᾽ ἀπονέμων.

Tamen quo modo placentae iis oblatae sint, utrum concremando an, quod fortasse propius ad verum accedit, 'xeniorum' ritu [4]), traditum non est.

Utut res se habet, ritus *ἐναγισμάτων* hic fere erat: profusis libationibus hostia mactabatur, ita tamen ut sanguis in terram influeret; quo facto victimae cadaver totum cremabatur [5]). Id enim pro certo statuendum est homines *ἐναγίσματα* sacrificantes omnino non hostiarum carne fructos esse, neque facere possum, quin obloquar viro eximio Welckero, qui (*Gr. G.* III p. 248 adn. 2) illa sacrificia consumpta non esse negat. Haec res, quae non paucis veterum testimoniis proba-

---

[1]) Ne multus sim in hac re notissima cf. cum alios vv. dd. tum C. Keil, Analect. epigr. et onomatol. p. 44. — De sexu et colore victimarum heroibus immolatarum scripsit P. Stengel, Quaestt. sacrific. Berol. 1879. p. 5 et 12.

[2]) De placentis hostiarum loco immolatis vide, quae congessit Lobeck, Aglaoph. II p. 1080 sqq.

[3]) Caseum adhibitum fuisse in illis sacris discimus ex testamento Epictetae C. I. Gr. n. 2448. VI, 6 sqq: *ὁ δὲ τὰν δευτέραν τοῖς ἥρωσι Φοίνικι καὶ Ἐπικτήτᾳ ἱερεῖον καὶ ἱερὰ ἐλλύτας ἐκ [π]υρῶν χοινίκων πέντε καὶ τυροῦ καπυροῦ στατῆρος.* Cf. Athen. IV, 137 e. Vide etiam P. Stengel, Annal. philol. 1882 (125) p. 672.

[4]) De xeniis vide infra pag. 8 sqq.

[5]) Id quod *ὁλοκαύτωμα* appellabant, cf. Hesych. Suid. s. v. *ἐναγίσματα · ὁλοκαυτώματα.* Vide Porphyr. d. abstin. II, 54 (= Euseb. Praep. Ev. IV, 16): *καὶ οὕτως αὐτὸν* (hominem sacrificatum) *ἐπὶ τὴν νησθεῖσαν πυρὰν ὡλοκαύτιζεν.* Plut. Sympos. VI, 8, 1: *Σμυρναῖοι . . θύουσι Βουβρώστει ταῦρον μέλανα καὶ κατακόψαντες αὐτόδορον ὁλοκαυτοῦσιν.*

tur [1]), maximi momenti est ad illam necessitudinem demonstrandam, quae intercedit inter heroas atque deos inferos. Nam homines sacrificiorum inferis oblatorum participes fieri semper nefas existimabatur [2]). Cuius rei causa fuisse videtur, quod qui una cum diis inferis iisdem cibis fruerentur, his numinibus sacri putabantur [3]).

Hac ratione illa notissima de Proserpinae raptu fabula explicanda est. Cum enim dea malum granatum gustasset, qui fructus Plutonis erat [4]), reditus integer ei non patuit, scilicet quia iamiam Plutoni consecrata erat. Lege Hymn. in Cerer. v. 371 sqq.:

αὐτὰρ ὅγ᾽ Ἀΐδης
ῥοιῆς κόκκον ἔδωκε φαγεῖν μελιηδέα, λάθρῃ
ἀμφὶ ἓ νωμήσας, ἵνα μὴ μένοι ἤματα πάντα
αὖθι παρ᾽ αἰδοίῃ Δημήτερι κυανοπέπλῳ.

cf. ibid. v. 411 sqq.

Neque cum iis viris doctis (velut Prellero *Gr. M.* I, 628) consentire possum, qui hanc rem ad matrimonium referunt. Nam Proserpinam, priusquam malum gustasset, fuisse iam uxorem Plutonis ex eiusdem hymni v. 343 sqq. apparet, neque mali comedendi caerimoniam summi ad matrimonium Graecorum comprobandum momenti fuisse ullis veterum testimoniis discimus. (Vide contra Plut. praec. coni. 1). Sed revertamur ad propositum.

---

[1]) Inspicias Paus. II, 10, 1. II, 11, 7. IV, 31, 7. V, 13, 2. Philostr. Heroic. p. 308, 3, ubi Achaeos totam navem pro inferiis obtulisse auctor tradit: *πῦρ ἐς κοίλην τὴν ναῦν ἐνῆκαν ἔπλει τε δὴ μετεωρίζουσα ἐς τὸ πέλαγος, καὶ οὔπω ἡλίου ἀνίσχοντος αὐτή τε κατεφλέχθη καὶ ὁπόσα τῷ Αἴαντι ἔφερεν.* Suid. v. *ἐναγίζειν . . . ἢ τὸ διὰ πυρὸς δαπανᾶν.* — Non licet provocare ad Artemidor. Onirocr. IV, 81: *τὰ ἐν νεκυσίοις καὶ περιδείπνοις παρατιθέμενά τισιν οὔτε ἰδεῖν οὔτε φαγεῖν ἀγαθὸν οὔτε περιδειπνεῖσθαι.* Quod de somniantibus dictum esse per se patet.

[2]) Cf. Porphyr. de abstin. II, 44: *Πάντες γὰρ ἐν τούτῳ ὡμολόγησαν οἱ θεολόγοι ὡς οὔτε ἁπτέον ἐν ταῖς ἀποτροπαίοις θυσίαις τῶν θυομένων καθαρσίοις τε χρηστέον.*

[3]) Cf. Simrock, *Deutsche Mythologie* p. 465.

[4]) V. Bötticher, *Baumkult der Hellenen* p. 472 sqq.

Ut igitur eo, quod sacra non consumebantur, heroum cultum arte coniunctum fuisse cum omnium inferorum cultu probatur, ita eo quoque, quod sanguis hostiarum non sicut in superorum deorum sacrificiis in coelum eiciebatur, verum in terram infundebatur.

Huic generi sacrorum heroicorum ex adverso pono ξένια, quae appellabantur[1]). Dii, qui hoc ritu colebantur, erant imprimis Πλούτων Διόνυσος Ἀσκληπιὸς Ζεὺς Σωτήρ, nimirum eius generis numina, quae artissime natura sua cum hominibus coniuncta esse viderentur. Praeter hos deos sat magnus numerus numinum his ciborum sacris honorati sunt, de quibus iam paulo amplius disputare opus est.

Quodam modo omnia sacra pro deorum cibis habita fuisse dici potest; tamen hoc loco non nisi de iis sacrificiis nobis disputandum est, quae re vera epulae more hominum paratae erant neque cum sacrificarentur, igni consumerentur. Sacra combusta a non combustis segregata esse ab ipsis veterum scriptoribus luculentissime illustrat Theopomp. ap. Porphyr. de abstin. II, 18, ubi narrat Clearchum quendam σπουδάζειν μέντοι ἀπὸ πάντων τῶν περιγιγνομένων καρπῶν καὶ τῶν ὡραίων, ἃ ἐκ τῆς γῆς λαμβάνεται, τοῖς θεοῖς (scil. Ἑρμῇ καὶ Ἑκάτῃ) τὰς ἀπαρχὰς ἀπονέμειν · καὶ τὰ μὲν προτιθέναι, τὰ δὲ καθαγίζειν αὐτοῖς.

Si placet, ordiamur a diis, quibus cibi consecrabantur, et primum quidem ab Ἑκάτῃ, cuius unusquisque scit δεῖπνα, quae dicuntur. Optime de his epulis edocemur Aristoph. Plut. v. 594 sqq. c. schol., unde eas prima quaque luna[2]) sub vesperem ab hominibus ditioribus in triviis depositas

---

[1]) Cf. Frider. Deneken, De Theoxeniis. Berolini 1881. (imprimis cap. I); pag. 2: 'Modus sacrificandi in universum is erat, ut variis cibis in mensa sacra collocatis aliquis deus aut heros precibus ad epulandum invitaretur. Ad mensam non raro aut simulacrum aut symbolum dei apponebatur aut non aliter atque homini epulanti lectus tapetibus et pulvinis exornabatur.'

[2]) V. Athen. VII, 126 p. 325: καὶ ταῖς τριακάσι αὐτῇ τὰ δεῖπνα φέρουσι. Cf. Schoemann ad Isaeum p. 219. Theopomp. l. l.: Τὸν δὲ Κλέαρχον φάναι ἐπιτελεῖν καὶ σπουδαίως θύειν ἐν τοῖς προσήκουσι χρόνοις, κατὰ μῆνα ἕκαστον ταῖς νουμηνίαις στεφανοῦντα καὶ φαιδρύνοντα τὸν Ἑρμῆν καὶ τὴν Ἑκάτην καὶ τιμᾶν λιβανωτοῖς

esse intellegitur. Discorum, in quibus efferebantur, nomen erat μαγίδες; cf. Soph. frgm. 651 ap. Poll. 6, 83. 10, 81: καὶ μαγίδες, ὅστις χρῆσθαι βούλοιτο τῷ ὀνόματι κυρίως ῥηθέντι ἐπὶ τῆς μάκτρας ἢ ἐπὶ τῆς τὰ ἱερὰ δεῖπνα ἢ τὰ πρὸς θυσίαν φερούσης, ὡς παρὰ Σοφοκλεῖ εἴρηται 'τὰς Ἑκαταίας μαγίδας δόρπων.' — Erant haec δόρπα secundum schol. ad Ar. l. c. placentae[1]) ova simul cum caseo fricto fortasse alia[2]), de quibus neque ipsi sacrificantes neque cibos efferentes gustabant; cf. Plut. Symp. VII, 6, 3: ὥστε πάσχειν τοὺς δειπνίζοντας, ἃ πάσχουσιν οἱ τῇ Ἑκάτῃ καὶ τοῖς ἀποτροπαίοις ἐκφέροντες τὰ δεῖπνα, μὴ γευομένους αὐτοὺς μηδὲ τοὺς οἴκοι πλὴν καπνοῦ καὶ θορύβου μετέχοντας. Quo loco etiam diis averruncis ciborum sacra parata esse certiores fimus[3]). Verum tamen haec cibaria non concremabantur aut in foveam defodiebantur, ut illa, de quibus iam diximus, inferum sacra; sed a civibus egentibus, quos fames, ut religionem postponerent, coegisset (Arist. Plut. v. 597: τοὺς δὲ πένητας τῶν ἀνθρώπων ἁρπάζειν πρὶν καταθεῖναι), consumebantur. Quae res quamvis notissima fuerit, non impediebat, quominus pii homines deam ipsam cena delectari putarent. Lege schol. ad Ar. l. l.: οἱ δὲ πένητας ἤρχοντο πεινῶντες καὶ ἤσθιον αὐτὰ καὶ ἔλεγον, ὅτι ἡ Ἑκάτη ἔφαγεν αὐτά, ubi scholiographus addit: ἀπὸ τῶν ἱερῶν γὰρ οἱ πτωχοὶ ζῶσιν[4]).

καὶ ψαιστοῖς καὶ ποπάνοις. Tamen etiam medio mense placentae (ἀμφιφῶντες) ei sacrificabantur; cf. E. Petersen, *Die dreigestaltige Hekate. Archäolog.-epigr. Mittheilgg. aus Oesterreich* IV (1880) p. 140.

[1]) Harpocrat. s. v. Ἑκάτης νῆσος . . . ψαμμητίχην δὲ κεκλῆσθαί φησιν ὁ Σῆμος ἐν α' Δηλιακῶν διὰ τὸ τοῖς ψαμμήτοις τιμᾶσθαι τὴν θεόν · ψάμμητα δ' ἐστὶ ψαιστῶν τις ἰδέα.

[2]) De canibus atque piscibus Hecatae immolatis sufficit allegare P. Stengel, Qu. sacrif. p. 25 et 27. E. Petersen, l. l. p. 165.

[3]) His etiam placentae offerebantur; cf. Aesch. Pers. 209 sq.; canes sicut Hecatae secundum Plut. Qu. R. 111.

[4]) Neque melioris notae sunt illi, qui commemorantur a Luc. Catapl. 7 (cf. Dial. Mort. I, 1) et Demosth. Con. 39: philosophus Cyniscus et Conon sodalesque. — Hos mendicos fuisse, qui Hecatam verbis 'χαῖρ' Εὐκολίνη' salutarent, coniecit Dilthey, Analect. Callim. p. 8 sq.

Nescio an huic deae addere liceat Eumenidas, quarum cenas

Ἑρμῇ quoque et quidem ut infero deo epulas parari iam e Theopompi loco supra allato compertum habemus. Praeterea die festo Chytrorum, qui vocatur, Athenienses grato animo recordati se e summa illa terrarum inundatione servatos esse atque mortuos familiares Mercurii, animarum ducis, curae commendantes deum ollis variorum ciborum plenis placare solebant. Vide Theopomp. ap. schol. Ar. Ran. 218: *Διασωθέντας οὖν τοὺς ἀνθρώπους, ᾗπερ ἐθάρρησαν ἡμέρᾳ, τῷ ταύτης ὀνόματι προσαγορεῦσαι καὶ τὴν ἑορτὴν ἅπασαν. ἔπειτα θύειν αὐτοῖς ἔθος ἔχουσι τῶν μὲν Ὀλυμπίων θεῶν οὐδενὶ τὸ παράπαν, Ἑρμῇ δὲ χθονίῳ, καὶ τῆς χύτρας, ἣν ἕψουσι πάντες οἱ κατὰ τὴν πόλιν, οὐδεὶς γεύεται τῶν ἱερέων. τοῦτο δὲ ποιοῦσι τῇ ἡμέρᾳ, καὶ τοὺς τότε παραγενομένους ὑπὲρ τῶν ἀποθανόντων ἱλάσασθαι τὸν Ἑρμῆν.* Cf. schol. Ar. Acharn. 1076 [1]). Quas ollas dei statuis, quae ad domos collocatae erant, appositas esse verisimile fit e schol. ad Ar. Pac. 922: *ἔθος εἶχον Ἑρμᾶς ἱδρύοντες πρὸ τῶν θυρῶν καὶ ἄλλα τινὰ ἀγάλματα θεοῦ, ὑπὲρ τοῦ μὴ βραδύνειν παρὰ τὴν ἀνάστασιν, χύτραις ἀθάρας ἱδρύεσθαι καὶ ἄλλοις τισίν*, quamquam ibi de sola dedicatione dictum est.

Haud secus sese habent sacra *Πλούτωνι* oblata, de cuius lectisterniis inspicias titulos a Köhlero Herm. VI p. 106 sqq. editos. Cuius rei certissimum testimonium invenies in Euripidis frgm. 103 ap. Clem. Alex. Strom. V, 10, 70. p. 248 Sylb.

σοὶ τῷ πάντων μεδέοντι χοὴν
πελανόν τε φέρω, Ζεὺς εἴτ᾽ Ἀΐδης
ὀνομαζόμενος στέργεις · σὺ δέ μοι

---

noctu oblatas Aeschyl. Eumen. 108 sq. commemorat, quamquam inde colligendum videtur illa cibaria *ἐναγισμάτων* ratione sacrificata esse.

[1]) Libenter horum locorum explicationem amplector, quam protulit v. d. Mommsen, *Heortologie* p. 366: primum e Theopompi, quod extat in cod. G (Ar. scholl. p. 518 Dübner), fragmento male intellecto derivatum esse schol. Ar. Ran. 218, tum Ach. 1076. — Unde autem vv. dd. Pape-Benseler (Onomastic. s. v. *Χύτροι*) collegerint ollam solemni pompa per urbem portatam esse, ego quidem me nescire profiteor.

θυσίαν ἄπυρον παγκαρπείας
δέξαι πλήρη προχυθεῖσαν.

Porro lances frugibus coctis repletas consecrabant *Ἀπόλλωνι* Pyanepsiorum, eidem una cum *Ἀρτέμιδι* Thargeliorum festo die [1]). Fabulae mythicae, quibus quomodo ollarum usus Chytris et Pyanepsiis exortus sit traditur, eaedem fere sunt: homines periculo liberati deo sacrificare properantes, cum hostiae deessent, reliquias ciborum in ollas confusas numini consecrarunt [2]). Sed ut genuinum Chytrorum caerimoniae sensum sacrum inferum fuisse manifestum est, ita Pyanepsiorum et Thargeliorum sollemnia ad messem spectant. Cum autem Thargeliis etiam expiatio tribuenda sit, eo magis huc faciunt, cum quam arte inter se cohaereant inferorum religio atque piacula unusquisque memoria teneat.

Denique [3]) tales in usu erant ollae, quas quibus cibis fuisse impletas schol. Arist. Plut. 1197 memoriae tradit, cum deo alicui ara dedicabatur aut statua, videlicet ut essent epulae numinis, cui res illa consecrabatur [4]). Neque tamen omnibus diis in re aliqua dedicanda cibaria offerebantur; verum potius, quantum e tam parvis exilibusque veterum testimoniis intellegi potest, diis tantum minoris notionis. Hoc luce clarius demonstratur Ar. Pac. v. 923 sq., ubi auctor non sine aliqua contemptione chytrarum apparatum illudit:

ΤΡΥΓ. *ταύτην* (scil. *Εἰρήνην*) *χύτραις ἱδρυτέον;*
ΧΟΡ. *χύτραισιν; ὥσπερ μεμφόμενον Ἑρμίδιον;*

---

[1]) Cf. lexicographos s. vv. *Πυανέψια* et *Θαργήλια*. Ab hac pultis oblatione *εἰρεσιώνη*, quae vocatur, in *Ἡλίου τε καὶ Ὡρῶν* honores circumportata seiungenda mihi videtur; cf. schol. Ar. Plut. 1054 cum Porphyr. de abstin. II, 7; atque huc refero, quae Hesych. s. v. *θαργήλια* adnotat: *ἐν δὲ τοῖς Θαργηλίοις τὰς ἀπαρχὰς τῶν φυομένων ποιοῦνται καὶ περικομίζουσι.*

[2]) Schol. Ar. Ran. 218 c. adn. p. 518 Dübn. Plut. Thes. 22.

[3]) De lance satura, quae *κέρνος* vocatur, in Matris Magnae sacris mysticis adhibita vide Lobeck, Aglaoph. p. 26. Preller, Polem. Perieg. frgm. p. 142 sqq. Eidem deae puls lactea sacrificabatur, quae *γαλαξία* dicebatur; cf. Hesych. s. v. *γαλάξια · ἑορτὴ ἐν ᾗ ἕψουσι γαλαξίαν · ἔστι δὲ πόλτος κρίθινος ἐν γάλακτι.* Idem fere ap. Bekk. Anecd. p. 229, 25, ubi additur *ἑορτὴ Ἀθήνησιν μητρὶ θεῶν ἀγομένη.*

[4]) V. Hesych. s. v. *ἱδρύεσθαι · ἐπὶ τῇ ἱδρύσει στῆσαι χύτραν.*

Ita ap. Aristoph. Plut. 1197 sqq. Chremylus, ut *Πλούτου* statuam in templo collocet, anum vascula illa in capite portantem pompae praeire iubet, quem ad locum scholiasta fragmentum 'Danaidum' affert, quod ad sacra domestica spectat:

μαρτύρομαι δὲ Ζηνὸς Ἑρκείου χύτρας,
παρ' αἷς ὁ βωμὸς οὗτος ἱδρύθη ποτέ.

Paulo distant Anticlidis exegetae praecepta apud Athen. XI p. 473 b[1]), tamen ibi quoque *παγκαρπία* commemoratur. Quare in universum contendere licet hanc ollarum sacrificationem adhibitam esse praecipue in sacris privatis domesticisque, id quod per se natura rei tulit.

Sed a diis festinat disputatio ad heroas; nam et hos tali modo cultos invenimus. Quae res optime demonstratur bella vinitoris cuiusdam narratione ap. Philostr. Heroic. II, 4 p. 291. Verba facit ille de Protesilao patrono suo: *Οὔπω, ξένε, σιτουμένῳ ἐνέτυχον οὐδὲ πίνοντα ἔγνων. Καίτοι σπένδω γε αὐτῷ κατὰ ἑσπέραν ἀπὸ τουτωνὶ τῶν Θασίων ἀμπέλων, ἃς φυτεύει αὐτός, καὶ τρωκτὰ δὲ ὡραῖα προτίθεμαι κατὰ μεσημβρίαν, ἐπειδὰν θέρος τε ἥκῃ καὶ μετόπωρον ἱστῆται, σελήνης τε ἰούσης ἐς κύκλον ἐν τῇ τοῦ ἦρος ὥρᾳ γάλα ἐγχέας ἐς τὸν ψυκτῆρα τοῦτον 'ἰδού σοι' λέγω 'τὸ τῆς ὥρας νᾶμα, σὺ δὲ πῖνε,' κἀγὼ μὲν εἰπὼν ταῦτα ἀπαλλάττομαι, τὰ δὲ βέβρωταί τε καὶ πέποται θᾶττον ἢ καταμύσαι* [2]).

Ad cenam quoque vocabantur heroes apud Delphos (schol. ad Pind. Nem. VII, 68), Dioscuri apud Athenienses Thessalos Locros Parios Agrigentinos Spartanos [3]), nonnullis locis una cum Helena et Hercule. Huic [4]) Thebis anniversario festo die, quo

---

[1]) *Διὸς Κτησίου σημεῖα ἱδρύεσθαι χρὴ ὧδε · καδίσκον καινὸν δίωτον ἐπιθηματοῦντα, στέψαντα τὰ ὦτα ἐρίῳ λευκῷ καὶ ἐκ τοῦ ὤμου τοῦ δεξιοῦ καὶ ἐκ τοῦ μετώπου τοῦ κροκίου καὶ ἐσθεῖναι ὅ τι ἂν εὕρῃς καὶ εἰσχέαι ἀμβροσίαν · ἡ δ' ἀμβροσία ὕδωρ ἀκραιφνὲς, ἔλαιον, παγκαρπία. ἅπερ ἔμβαλε.* — Ad *καδίσκον* cf. Hesych. s. v. *καδίσκοι · σιπύαι, εἰς ἃς τὰ ἱερὰ ἐτίθεσαν.*

[2]) Legas quoque Hygin. fab. 104, unde poma Protesilao mortuo a Laodamia oblata esse intelleges.

[3]) Cf. Deneken, De Theoxeniis p. 4 sqq. 12 sq.

[4]) Satis habeo adnotare duos amplos, sed mutilatos titulos a Rossio in Coo insula repertos et Inscr. Graec. Ined. III n. 311

eius liberis inferiae offerebantur, epulas paratas esse Pindari verba docent (Isthm. III, 79 sqq.):

τῷ μὲν Ἀλεκτρᾶν ὕπερθεν δαῖτα πορσύνοντες ἀστοὶ
καὶ νεόδματα στεφανώματα βωμῶν αὔξομεν
ἔμπυρα χαλκοαρᾶν ὀκτὼ θανόντων,
τοὺς Μεγάρα τέκε οἱ Κρειοντὶς υἱοὺς · κτλ.

Fortasse etiam heroinas Thebaicas Semelen Inonem Alcmenam ad xenia vocatas esse inde concludendum est, quod Pindarus eas invitavit, ut in Apollinis templum venirent victoriaeque celebrandae interessent (Pyth. XI, 1 sqq.). Si igitur memoriae proditur Rhodios Harmodii Aristogitonisque statuas sacris in pulvinaribus collocasse, eos etiam mensas dapibus ornatas apposuisse non est, quod demonstrem [1]). Neque aliud quid de Aiace ab Atheniensibus lectisternii honore affecto statuendum est [2]). Quod de his valet, id cadit etiam in omnes heroas, qui xeniis colebantur; versa autem vice, si mortuorum quis ad xenia vocabatur, ut Homerus Argis [3]), eum ab hominibus invitantibus pro heroe habitum esse inde colligas necesse est. Etiam heroum reliquiis, cum colebantur, cibaria consecrabantur. Quod e Pausaniae (II, 40, 6) de Agamemnonis sceptro narratiuncula discimus. Chaeronenses enim cum sceptrum illud omnium deorum sanctissimum haberent, quotidie ei sacrificabant mensam sacram variis cibis implentes: *καὶ οἱ θυσίαι ἀνὰ*

---

publici iuris factos, in quibus lectisternia Herculi parata exhibentur: cf. B, 21.

θύειν δὲ ἑκκαιδεκάτᾳ
μ]ηνὸς Πεταγειτνύου κα[ὶ
τὸν ξενισμὸν ποιεῖν τῷ
Ἡ]ρακλεῖ.

Fortasse huc spectant anaglypha et nummus, de quibus disputavit Deneken l. c. p. 32 c. not. 2.

[1]) Cf. Valer. Max. II, 10, 1. ext.: 'Harmodii et Aristogitonis . . effigies aeneas . . Rhodii . . urbi suae adpulsas, cum in hospitium publice invitassent, sacris etiam in pulvinaribus conlocaverunt.'

[2]) V. Schol. Pind. Nem. II, 19: . . *ὅτι διὰ τιμῆς ἦγον οἱ Ἀθηναῖοι τὸν Αἴαντα, ὡς . . . καὶ κλίνην αὐτῷ μετὰ πανοπλίας κατακοσμεῖν.*

[3]) Cf. Ael. V. H. IX, 15: *Ποιοῦντες δὲ θυσίαν* (scil. *οἱ Ἀργεῖοι*) *ἐπὶ ξένια ἐκάλουν τὸν Ἀπόλλωνα καὶ Ὅμηρον.*

πᾶσαν ἡμέραν ϑύονται, καὶ τράπεζα παράκειται παντοδαπῶν κρεῶν καὶ πεμμάτων πλήρης [1]).

Quod igitur heroes ciborum consecratione honorabantur atque sine dubio in sacris domesticis saepissime cotidianarum epularum participes fiebant [2]), inde illam vulgi superstitiosam religionem exortam esse, quam nobis Diogenes Laertius tradidit, non sine veri specie conicias. Lege VIII, 32: (Pythagoras docuit) *τὰ δὲ πεσόντα μὴ ἀναιρεῖσϑαι ὑπὲρ τοῦ ἐϑίζεσϑαι μὴ ἀκολάστως ἐσϑίειν· ἢ ὅτι ἐπὶ τελευτῇ τινος. Ἀριστοφάνης δὲ τῶν ἡρώων φησὶν εἶναι τὰ πίπτοντα, λέγων ἐν τοῖς Ἥρωσι,*

Μὴ γεύεσϑ᾽ ἅττ᾽ ἂν καταπέσῃ τῆς τραπέζης ἐντός.

Cf. Aristoph. frg. 305 Kock. Suid. s. v. *Πυϑαγόρα τὰ σύμβολα.* Nam quod philosophus aliam huius superstitionis explicationem protulit, aliam comicus, nihil interest; verum eo magis demonstratur viguisse latissimeque patuisse hanc opinionem. Atque poetam, non philosophum populi iudicium pronuntiasse quis est, qui neget? Praeterea mirum in modum huius sententiae auxilium exortum est e loco ap. Athen. X, 247 e, ubi alter poeta adhibetur: *τοῖς δέ τετελευτηκόσι τῶν φίλων ἀπένεμον τὰ πίπτοντα τῆς τροφῆς ἀπὸ τῶν τραπεζῶν· διὸ καὶ Εὐ-*

---

1) Hac in re meministi sine dubio mensae, quam apud Aethiopes Soli consecratam esse Herodotus III, 18 tradidit, ubi videmus, id quod nobis iam antea de Hecatae cenis disputantibus occurrebat, illa cibaria ab hominibus quibuslibet consumpta esse: *ἡ δὲ τράπεζα τοῦ ἡλίου τοιήδε τις λέγεται εἶναι. λειμών ἐστι ἐν τῷ προαστείῳ ἐπίπλεος κρεῶν ἑφϑῶν πάντων τῶν τετραπόδων, ἐς τὸν τὰς μὲν νύκτας ἐπιτηδεύοντας τιϑέναι τὰ κρέα τοὺς ἐν τέλεϊ ἑκάστους ἐόντας τῶν ἀστῶν, τὰς δὲ ἡμέρας δαίνυσϑαι προσιόντα τὸν βουλόμενον· φάναι δὲ τοὺς ἐπιχωρίους ταῦτα τὴν γῆν ἀναδιδόναι ἑκάστοτε.*

2) Sicut lares apud Romanos; cf. Marquardt, *Römische Staatsverw.* III p. 124. Etiam apud Persas genio regis mensam cibis ornatam esse nos docet Theopomp. ap. Athen. VI p. 252b adulationes Nicostrati Argivi referens: *ἔπειτα καϑ᾽ ἑκάστην ἡμέραν, ὁπότε μέλλοι δειπνεῖν, τράπεζαν παρετίϑει χωρὶς ὀνομάζων τῷ δαίμονι τῷ βασιλέως, ἐμπλήσας σίτου καὶ ἄλλων ἐπιτηδείων, ἀκούων μὲν τοῦτο ποιεῖν καὶ τῶν Περσῶν τοὺς περὶ τὰς ϑύρας διατρίβοντες, οἰόμενος δὲ διὰ τῆς ϑεραπείας ταύτης χρηματιεῖσϑαι μᾶλλον παρὰ τοῦ βασιλέως.* — Et cf. Nicolaum p. 150: *Πισίδαι δειπνοῦντες ἀπάρχονται τοῖς γονεῦσιν, ὡς ἡμεῖς τοῖς ϑεοῖς παρασπονδίοις.*

ριπίδης περὶ τῆς Σϑενεβοίας φησίν, ἐπειδὴ νομίζει τὸν Βελλεροφόντην τεϑνάναι,

πεσὸν δέ νιν λέληϑεν οὐδὲν ἐκ χερός,
ἀλλ᾽ εὐϑὺς αὐδᾷ 'τῷ Κορινϑίῳ ξένῳ᾽.

Vide an his quoque, quae tam bene illustrant cultum domesticum, affundatur lux rei cuidam, cuius Plutarchus fecit mentionem (Quaest. Rom. 64): fuisse morem Romanorum non omnes de mensa tollere cibos, sed relinquere aliquam partem. Quod facere solebant, opinor, ut iis fruerentur lares vel genii domestici; nam etiam veteres Germani, id quod videtur notatu dignum, genios domesticos cibariis sibi propitios reddere studebant [1]).

Cum his artissime cohaerent claudantque agmen eorum, quibus cibi more humano parabantur, mortui et Graecorum et Romanorum. Tertio nono tricesimo post funera die [2]), tum anniversariis parentalibus feralibusque inferiae sepulcris apportabantur, in quibus cibaria fuisse Lucianus (Char. 22) testatur: *οἱ δὲ καὶ πυρὰν νήσαντες πρὸ τῶν χωμάτων καὶ βόϑρον τινὰ ὀρύξαντες καίουσί τε ταυτὶ τὰ πολυτελῆ δεῖπνα κτλ.* Hoc quidem loco ea enagismatum ritu oblata esse traduntur, et memineris, quod Ulixes inferis pollicitus est *πυρὴν ἐμπλησέμεν ἐσϑλῶν* (*λ*, 31). Neque multum nos iuvat schol. ad Arist. Lysistr. v. 612 verba *ἀλλ᾽ ἐς τρίτην* ita explicans: *Ἐπειδὴ τῇ τρίτῃ τὸ τῶν νεκρῶν ἄριστον ἐκφέρεται*; neque

---

1) Cf. J. Grimm, *Deutsche Mythol.* ⁴I p. 422 (col. p. 427): '*Dienstboten, die sich gut mit ihm (dem hausgeiste) stehen, setzen von den speisen ein besonderes näpfchen bei seite, was wol noch auf kleine opfer deutet, die ihm im alterthum gebracht wurden.*' — p. 370: '*Damit verbinde ich den abergläubischen gebrauch, engeln speise zu kochen und hinzustellen. ebenso wird den hausschmieden und kobolden der tisch gedeckt und ein topf speise hingesetzt.*'

2) In transcursu commemoro satis miram horum dierum (pro tricesimo ibi invenitur quadragesimus; cf. Wachsmuth, *Das alte Griech. im neuen* p. 122.) explicationem et Libanio et Splenio cuidam — sed utrique falso — adscriptam, quam e cod. Vat. gr. 12 misc. chart. saec. XV fol. 206⁶ primus edidit E. Rhode in Ritschelii Act. I, 28, e cod. Par. 2894 bomb. saec. XIII R. Foerster, Annal. philol. 1876 p. 215 sqq.

quicquam lucramur e Plutarcho [1]), qui in silicerniis et ad mortuos excitandos fabas adhibitas esse commemorat, quamquam inde nobis in memoriam revocantur illae ollae fabis repletae (schol. Ar. Plut. 1197) atque in dedicando usurpatae, de quibus supra disputavimus. Sed non opus est ad rem, quam probare studemus, fulciendam Romanorum [2]) testimonia arcessere, ut Plaut. Pseudul. III, 2, 4:

Ut esset hic, qui mortuis cenam coquat;
Nam hic solus illis coquere, quod placeat, potest —

quamquam nescio an poeta hanc rem a Graeco auctore mutuatus sit; aut Ovid. Fast. II, 535 sqq.:

parva petunt Manes, pietas pro divite grata est
munere: non avidos Styx habet ima deos.
tegula porrectis satis est velata coronis,
et sparsae fruges, parvaque mica salis,
inque mero mollita Ceres, violaeque solutae:
haec habeat media testa relicta via.

Habemus testes, quibus maiorem attribuere fidem licet: ciborum reliquias nostra memoria in Graecorum sepulcris repertas [3]). Qui cibi aliquando cum mortuorum corporibus ibi collocati [4])

---

[1]) Q. R. 95: *ἢ ὅτι πρὸς τὰ περίδειπνα καὶ τὰς προκλήσεις τῶν νεκρῶν μάλιστα χρῶνται τοῖς ὀσπρίοις.* Ad fabas manibus datas inspicias Ov. Fast. V, 436—440. Lobeck, Aglaoph. p. 254.

[2]) Etiam ab Indis manes cibis cultos fuisse optime docuit v. d. O. Donner, Pindapitryajna, *das manenopfer mit klössen bei den Indern. Berlin* 1870. — Apud Bithynos mortuorum animas ad dapes invitatas esse testatur Arrian. ap. Eustath. p. 1615: *Ἀρριανὸς δὲ λέγει καὶ ὅτε παρὰ Βιθυνοῖς τελοῦνται τὰ νεκύσια, καλεῖν ὀνομαστὶ τὰς τῶν κατοιχομένων ψυχὰς, ὅσοι τελευτᾶν ἔτυχον ὑπερόριοι καὶ κατακαλεῖν αὐτοὺς ἐς τρὶς καὶ δέεσθαι ἀνελθεῖν ὡς μετάσχοιεν τῆς δαιτός.* — De manibus a gentibus feris incultisque cibariis honoratis cf. G. Roskoff, *Das Religionswesen der rohesten Naturvölker. Leipz.* 1880. p. 53—108. J. Lippert, *Der Seelenkult etc. Berl.* 1881.

[3]) Cf. Raoul-Rochette, *Mémoires d. l'Inst. R. d. Fr., Acad. d. Inscr. etc.* XIII 1838. p. 676—683.

[4]) Quae res probari videtur versibus nonnullis, quos e carmine epico, quod Alcmaeonis inscribitur, nobis servavit Athen. XI, 460b, quamquam qui sit sententiarum nexus nescimus:

satis docent non solum concremata esse illa sacra, verum etiam ut epulas oblata. Quod cum in mortuis sepeliendis factum esse constet [1]), quid tandem obstat, quominus id etiam funeribus celebratis saepius usurpatum fuisse colligamus, etiamsi veterum scriptorum Graecorum disertum de hac re testimonium frustra requires? Tum Bekkero Anecd. 247, 27 exhibente: *Ἑκαταῖα· τὰ τῇ Ἑκάτῃ θυόμενα, ἅπερ ἔστι τῶν νεκρῶν ἐναγίσματα,* nonne inde verisimile fit mortuis etiam *δεῖπνα*, quae quidem Hecatae sacra esse cognovimus, proposita esse? (Cf. Schömann ad Isaeum p. 219 sq.) Quid? Si in memoriam revocas omnia illa anaglypha, quibus dapes mortuis oblatas repraesentatas esse nunc quidem omnes fere viri docti [2]) consentiunt, num putas plura opus esse testimonia, quae nobis demonstrent manes ciborum sacris cultos esse? Eo autem, quod Augustinus hunc morem oppugnavit, dilucide apparet eum valde in usu fuisse; cf. Serm. de sanctis 15: 'Miror, cur apud infideles hodie tam perniciosus error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos et vina conferant' et De civit. Dei IX, 27: 'Quicunque etiam epulas suas eo (scil. in martyrum sepulcra) deferunt, — quod quidem a Christianis melioribus non fit, et in plerisque terrarum nulla talis est consuetudo, — tamen quicunque id faciunt, quas cum apposuerint, orant et auferunt, ut vescantur, vel ex iis etiam indigentibus largiantur, sanctificari sibi eas volunt per merita martyrum in nomine Domini martyrum.' — Et fortasse nobis succurrit Lucianus (*π. τ. ἐπὶ μισθῷ συνόντων* 28), ubi de epulis apud sepulcra institutis dicere videtur: *ἔοικας γὰρ τότε στήλῃ ἑώλου τινὸς νεκροῦ ἄγοντος ἐναγίσματα· καὶ γὰρ ἐκείνου καταχέαντες μύρον καὶ τὸν στέφανον ἐπιθέντες*

νέκυς δὲ χαμαιστρώτου ἐπὶ κλίνας
εὐρείης στιβάδος, προέθηκ' αὐτοῖσι θάλειαν
δαῖτα ποτήριά τε στεφάνους τ' ἐπὶ κρασὶν ἔθηκεν.

[1]) Luc. *π. πένθ.* 14: *καὶ ἐσθῆτα καὶ τὸν ἄλλον κόσμον συγκατέφλεξαν ἢ συγκατώρυξαν ὡς χρησομένοις ἐκεῖ καὶ ἀπολαύσουσιν αὐτῶν κάτω.* De more Persarum vide luculentissimum exemplum ap. Arrian. Alex. anab. VI, 29, 4 sqq.

[2]) U. Köhler, *Mittheilgg. d. deutsch. arch. Inst. zu Athen* II 1877. p. 246 not. 1.

αὐτοὶ πίνουσι καὶ εὐωχοῦνται τὰ παρεσκευασμένα[1]). Nam haec verba alio modo explicari non possunt, nisi ita iocari scriptorem statuimus, ut illa cibaria, quae proprie mortuorum in usum parati sunt, a familiaribus ipsis comedi dicat. Tamen cave, ne nimiam Luciano fidem aut hoc aut eo, quem antea laudavimus loco, tribuas. Quanta enim cautio adhibenda sit in allegando hoc auctore, perfacile unusquisque intelleget ex eiusdem variorum sepeliendi modorum mentione (De luctu 21). Quam si quis, ut probet Graecos concremando tantum mortuos sepelivisse, attulerit, quantopere a vero aberraverit, luce clarius est.

Huc provectis quaerere libet, quo causa deducta sit quamque ad sententiam pervenerimus iis, quae hactenus disputata sunt. Atque id quidem in universum contendi potest cibaria, quae non concremabantur, sed pro epulis offerebantur, diis superis omnino non sacrificata esse. Contra si eorum seriem perlustraveris, quos tali modo honoratos cognovimus, eos esse aut deos, qui aliqua ratione cohaereant cum inferis, aut inferos ipsos (*χθονίους*) et deos et mortuos aut postremo heroas extemplo intelleges. Sed quid inde de heroum cultu lucrati sumus? Idem quod ex enagismatum ritu. Nam ex iis, quae supra de hoc heroum colendorum ritu protulimus, efficitur, heroas eadem ratione honoratos esse atque inferos; neque aliud quidquam e dapium consecratione elucere iam facile per se quisque cognovit.

Quo modo cum manifestum factum sit intercedere necessitudinem et quidem summam inter heroas atque inferos, desint autem omnia vestigia, quibus heroas[2]) eodem modo ac deos superos cultos esse demonstretur, inde eam sententiam ad irritum redactam esse optimo iure colligas, quam adumbravit magis quam demonstravit abhinc quindecim fere annos

---

[1]) Cf. (Socratem) ap. Stob. Flor. XVI, 27: *Ὁ τῶν φιλαργύρων βίος ἔοικε νεκροῦ δείπνῳ· πάντα γὰρ ἔχων τόν εὐφρανθησόμενον οὐκ ἔχει.*

[2]) Nam ii, qui etiam in deorum numero collocabantur, sicut Hercules alii, non magis ad nos quam vox *θύειν* indiligenter pro *ἐναγίζειν* usurpata similia; agitur tantum de iis, qui proprie heroes habebantur.

v. d. Hartung, *Die Religion u. Mythol. d. Griechen* I, 200 sqq. Placuit enim illi heroas non nisi deos fuisse, quorum primaria vis notioque obscurata atque neglecta fuisset. Cui iudicio ita in universum lato certe fides abroganda est. Nam etiamsi concedendum videatur in singulis heroibus latere iisque admixtum esse aliquid divini, tamen heroum multitudinem negari potest originem e superis traxisse.

Verum dixerit quis ex iis, quae iamiam de heroum cultu comperta habemus, nondum colligere licere eorum religionem derivatam esse ab inferorum veneratione. Attamen id saltem adhuc nos assecutos esse concedes, ut, cum heroes et inferorum ritu et, ut ita dicam, humano potius quam divino modo culti sint, eorum cum superis nexum in universum reiciendum esse appareat.

Itaque nunc nos vertamus ad veteres Graecorum scriptores, num ex iis quid de heroum religionis origine eruere possimus.

Ordiamur, ut par est, ab Homeri carminibus, e quibus, antequam ad heroas ipsos aggrediamur, quid de manium cultu discamus, si libet, quaeramus. Mortuorum animas, cum in Orcum descenderint, umbras quasi vivorumque imagines fieri ‘tenues sine corpore vitas’, quibus nec vires sint nec mens, tam notum est, ut loca adlegare supersedere queam[1]). Itaque si Graecos, utpote qui plerique hanc tantum vitam curarent[2]), familiares mortuos tantopere omni sensu privatos neglegere videremus, quis nimis miraretur? Atque id quidem concedendum est non tam explicatam dilatatamque in his carminibus nos invenire religionem, quam posterioribus temporibus vita defunctis oblatam sciamus; nil proditum nos habere de sacris anniversariis certisque diebus institutis, quibus familiares amicique mortuos honorarent propitiosque sibi redderent. Nam aliud est mortuos solemni sepultura distinguere, ut Achilles

---

[1]) E. c. cf. Nitzsch, Adn. ad Od. III p. 175. Nägelsbach, *Hom. Theolog.*[2] p. 398 sqq. Teuffel, *Stud. u. Charakter.* p. 37.

[2]) Nitzsch, De apotheosis ap. Graec. vulgat. caus. diss. Kiliae 1840 p. 6.

honoravit Patroclum, aliud iis post funera saepius pietatis officia reddere [1]).

Verum tamen prima vestigia nobis occurrere, quibus iam illa aetate manes cultos esse indicetur, haud quisquam negabit, qui accuratius eam Odysseae partem inspexerit, quam necyiam priorem vocare solent. Nam primum quidem vix magnum videbis discrimen inter eum, quo Ulixes mortuis inferias consecrat, modum et illum, quem Graecos, ut cives pro patria bello Persico mortuos Plataeis honorarent, usque ad ipsius tempora secutos esse Plutarchus memoriae prodidit [2]).

Tum inde, quod Homericas animas, ubi sanguinem oblatum gustaverint, mentem recuperare audimus (*λ*, 98. 147 sq. 153 sq. 228. 390), perfacile coniciemus iis etiam saepius iucundissimum illud levamen oblatum esse. Nam cum animae ipsae, quippe quae ad foveam sanguine repletam tendentes sitimque sedare cupientes non nisi gladio destricto repellantur, doceant sanguinem ab iis appetitum atque re vera levamentum habitum esse, cur non credemus familiares, qui hoc scirent, eos iterum atque saepius hoc modo delectasse et recreasse? Tamen huic rei maiorem quam coniecturae fidem adiungere non licet, praesertim cum, quo pauciora sunt, quae traduntur, eo magis cavendum sit, ne plura inde colligamus.

---

[1]) Et memineris Pisistrati, Nestoris filii, de mortuis verba (*δ*, 197 sq.):

τοῦτό νυ καὶ γέρας οἶον ὀιζυροῖσι βροτοῖσιν
κείρασθαί τε κόμην βαλέειν τ᾽ ἀπὸ δάκρυ παρειῶν.

cf. *Π*, 455:

ἔνθα ἑ ταρχύσουσι κασίγνητοί τε ἔται τε
τύμβῳ τε στήλῃ τε· τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.

[2]) Cf. Aristid. cap. XXI. Quam similem libandi caerimoniam disertioribus verbis Aeschylus describat (Pers. 608 sqq.), in memoriam revocare opus non est. Ut autem intellegas, quantopere paulisper totus ritus mutatus sit, vide modo, quae de foveis in inferiis adhibitis congessit Stephani, *Compte-Rendu* 1865. p. 6 sqq. — Obiter moneo Ulixem sodalesque haec sacra nocturno obtulisse tempore: totum per diem vecti cum post solis occasum appulerint (*λ*, 12 sq.), statim ad destinatum locum profecti inferias instituunt (v. 20 sqq.). Tum opere peracto sive eadem nocte sive postero die ita ad Circae insulam revertuntur, ut nave appulsa dormientes primam auroram maneant (*μ*, 6 sq.).

Atqui extant in ea, quam consideraturi sumus, carminis parte nonnulli versus, qui fortasse certius manium cultus initia probare videntur: eos dico, quibus poeta Ulixem mortuorum agmen invocantem fingit (*λ*, 29—35). Nam his versibus non solum ad foveam manes invitat, verum denuo etiam iis, postquam domum reverterit, sacra et quidem maiora sese facturum esse pollicetur. Id quidem omnino mirum, quod ad mortuos mente privatos precetur; sed magis mirandum, quod precibus etiam vota addat. Porro ubi illa sacra, si re vera Ulixes domum reversus ea fecit, oblata esse nobis fingemus? Nempe ad sepulcra mortuorum, velut matris, aut ad cenotaphia iis extructa, quorum corpora alibi erant humata (sicut Menelaus tumulum congessit fratri miserrimo: *δ*, 584). En, nonne habes eundem, quem posterioribus e temporibus vel optime novisti, manium cultum? Quamquam, num saepius mortuis talia consecrata sint sacrificia, cum certis evincere documentis nequeamus, ne nimis audacem me praebeam, in eo subsisto, ut apud Homerum prima tantum mortuorum religionis vestigia inveniri adfirmem.

Quod autem manibus Homericis mens sensusque rogorum flammis plane eximuntur, iis tamen inferiae precesque dantur, haec sane discrepant inter se, atque facile fuerit, qui ea de causa totam necyiam posterioribus temporibus Odysseae inculcatam esse arbitretur. At nihil hac coniectura iuvatur, cum offensiones in carmine ipso occurrant. Praeterea extitit summus criticus Adolfus Kirchhoff, qui ad antiquissimas Odysseae partes necyiam pertinere, sed primario de loco deiectam esse demonstravit [1]). Ac ne tum quidem nodus expeditur, cum de singulorum versuum interpolatione cogitamus: nam alia cum alia sententia adeo, ut seiungi non possit, conexa contextaque est, id quod docet cum v. 29, quo uno eodemque versu uno quasi spiritu de precibus votisque ad mortuos mente carentes factis dictum est, tum tota ipsa necyia. Sed id saltem monere licet, etiam alias in Homeri carminibus sententias et quidem prae ceteris, quae ad mortuos pertineant, inter se dissentire. Sic, ut pauca

---

[1]) *Die homer. Odyssee*[2] p. 225 sqq.

adferam, quamquam disertis verbis commemoratur mentem tum demum manibus redire, cum sanguinem biberint, tamen Elpenor Aiax Hercules Ulixem extemplo cognoscunt, quamquam de sanguine non gustarunt (vv. 543 sq. 615). Quid? Ex communi Homeri sententia hominum animae, ubi primum mortem subiere, sine ulla mora et quidem corporibus nondum sepultis in Orcum descendunt (cf. v. c. *Z,* 422. *H,* 330. *Π,* 856. *X,* 362); Patrocli et Elpenoris Plutonis domum introire ac conquiescere nequeunt, quia corpora inhumata iacent (*ψ,* 71 sqq. *λ,* 72 sqq.)[1]. Denique addas illam novam Mercurii psychopompi mentionem, quam ultimum Odysseae carmen exhibet. Sed cum horum versuum, qui sint genuini, qui postea interpolati, certum in modum discernere possimus, nostro quidem loco tale quid fieri non potest.

Itaque restat, ut — id quod omnia satis probant — concedatur sententias, quae de hominum post fata vita in Homeri necyia inveniantur, non tantopere omnibus offensionibus et discrepantiis carere, ut absolutam atque perfectam praebeant imaginem, contra tales mutationes subiisse, ut cum priores adessent, novae alienaeque iam illaberentur.

Mortuorum igitur religionis indicia exhiberi exploratum videtur; quid iam de heroum cultu evadit?

Verbo ἥρως[2], quamvis saepissime in Homeri carminibus sit usurpatum, eam tamen significationem, quam postea adeptum sit, nondum inesse unusquisque memoria tenet. Nam non sunt semidei, qui ita appellantur[3], neque solum principibus neque iuvenibus rei militaris peritissimis, sed omnibus viris hoc nomen attribuitur[4], quin etiam Demodoco citharoedo (*ϑ,* 483) et Mulio praeconi (*σ,* 423); neque ullus versus adhiberi potest, qui iis, qui heroes appellati sunt, sacra facta esse

---

[1]) Cf. Lauer, De Odysseae libro undecimo quaest. Cap. I. Diss. Berol. 1843. p. 21 sqq.

[2]) De veriloquiis — quae tamen nondum ad liquidum perducta videntur — cf. Leo Meyer, *Bezzenbg. Beitrg.* II 1878. p. 255.

[3]) Eum enim locum, ubi commemoratur *ἡμιθέων γένος ἀνδρῶν* (*M,* 23), spurium esse nemo infitias ibit; cf. Nitzsch, Adnot. ad Hom. III p. 166. Bergk, *Gr. Litter.* I p. 602.

[4]) Lehrs, De Aristarchi studiis Homer.[2] p. 101.

testatur. Hoc eo minus mirandum est, quod illi, dum vivunt, heroum nomine ornantur, vivorum autem cultus ab Homeri aetate prorsus abest[1]). Sed ne eos quidem singulari religionis modo honoratos videmus, qui postea inter clarissimos heroas numerari et coli solebant: moriuntur Achilles Aias Telamonius Hercules Hector alii aeque atque omnes homines, habitant mortui in Orco haud secus atque omnes, qui diem supremum obierunt. Quin etiam Castorem et Pollucem Homerus non Iovis, sed Tyndari filios dicit et in Iliade (*Γ,* 243 sq.) terra Laconica opertos esse commemorat; in Odyssea autem, ubi nova quidem de iis opinio profertur, alternis saltem diebus sub terra morari narrantur (*λ,* 303). Neque verbis, quae de eorum honore (v. 304) extant, ut certissimis documentis uti licet, quibus demonstretur iis cultum quendam oblatum esse, cum, etiamsi neque catalogum heroinarum ab antiquissimae Odysseae partis poeta abiudicaremus[2]) neque hos ipsos versus spurios haberemus[3]), tam late pateant, ut de religione cogitare opus non sit[4]). Praeter haec autem non sunt heroum cultus vestigia[5]).

Prorsus alia de heroibus sententia legitur loco sat memorabili (*δ,* 561 sq.), ubi Menelaum non moriturum esse, sed vivum in Elysium traductum iri Proteus vaticinatur. Primum hic occurrit illa Elysii notio, quae quantopere ab omnibus, quae Homerus de hominum sorte et vita docet, abhorreat, nemo est, qui nesciat. Sed cum illam Odysseae partem, quae hos

---

[1]) Plane aliud esse, quod extat *ϑ,* 467 sq., non est, quo commemorem.

[2]) Teuffel l. l. p. 41.

[3]) Nitzsch, Adnot. III, 246.

[4]) In memoriam revoco similes quasi epicas formulas, quae plus semel extant; v. c. *ξ,* 205. *λ,* 484. *E,* 78. *Γ,* 302, 603, saepius.

[5]) Non audeo provocare ad *B,* 547—551, ut fecit Ukert, *Über Dämonen, Heroen u. Genien. Abhandlgg. d. k. sächs. Ges. d. W.* 1850. p. 175. Nam quamquam *μιν* non aliter intellegendum videtur quam spectans ad Erechtheum, tamen et de versibus ipsis adhuc sub iudice lis est (Nauck eos pro spuriis haberi vult) et totum catalogum posteriore aetate Iliadi inculcatum esse inter omnes constat; cf. Bergk, *Gr. Litt.* I p. 556; quin etiam sunt, qui eum post Odysseam ortum esse adfirment; v. Ben. Niese, *Die Entwick. d. hom. Poesie* 1882. p. 69, 202, 228. — Cf. Nitzsch, Adn. III, 166.

versus continet et 'Telemachia' vocatur, non ad primarium carminis argumentum pertinuisse veri simillimum videatur[1]), sed postea inculcatam esse, ne nimium huic loco attribuas momenti, caveas. Si nempe recte statuit Kirchhoff alteram, quam dicit, Odysseae redactionem circa tricesimam olympiadem factam esse[2]), locus noster cum Odyssea coniunctus est post 'Aethiopidem' conditam, in quo carmine Achillem in Leucam insulam transportatum fuisse infra videbimus. Quamquam enim num etiam in primaria 'Telemachia' Menelaus immortalitate donatus sit, diiudicare non possumus, tamen, quia toto caelo ab Homeri sententiis haec 'apotheosis distat, tum demum Menelai in Elysio collocati mentionem Odysseae insarcitam esse arbitror, cum heroes quidam carminibus tantopere elati essent, ut vita illa beatissima digni haberentur, sive eam in Leuca insula sive in regione remota occidentem versus sita putabant[3]).

Itaque ut breviter complectar, quae ex Homeri carminibus effici nobis visi sumus, haec statuo: mortuorum religionis prima occurrere vestigia et quidem cum certa, tum vel in antiquissima Odysseae parte; heroum nulla, aut si illa dubia indicia, ut *ἡμιθέων* appellationem et Menelai apotheosim, ad cultum iam ea aetate heroibus factitatum probandum in medium proferre vis, ea inter novissima carminum additamenta numeres necesse est.

Iamiam transeam ad illum poetam, qui primus disertis de heroibus verbis locutus est: ad Hesiodum. Fecit hic mentionem eorum in *Ἔργ. κ. Ἡμ.* inde a v. 156 usque ad v. 173[4]). Quinam sunt illi, quos poeta heroum nomine

---

[1]) Kirchhoff, *Hom. Odyssee*[2] p. 167 sq.

[2]) Ibid. 290 sq.

[3]) Quod in universum iam adfirmasse video v. d. H. Köhlerum *Mémoire sur les îles et la course consacrées à Achille. Mém. de l'Acad. de St. Pétersbg.* X 1826 p. 532 fin.: '*Il est donc vraisemblable que la tradition du séjour de Ménélas dans l'Elysée est d'une origine postérieure et étrangère aux poëmes primitifs d'Homère et qu'elle a été empruntée des systèmes établis plus tard*'.

[4]) Ceteris in carminibus ubi invenitur herois nomen, non distat eius notio ab Homerica; cf. Theog. 970. 1009. Scut. 19. 37. 78. 118. frg. 148 Marcksch. = 182 Göttling-Flach = 149 Kinkel.

honorat? Non quilibet, quos fama domestica cuiusque gentis, quia egregia fecerant facinora, ultra hominum naturam et condicionem auxerat atque evexerat, sed ii tantum, qui bellis contra Thebas atque Troiam gestis interfuerant, i. e. qui celeberrimis carminibus epicis immortalem adepti erant gloriam.

Itaque ut statim absolvamus, quae huc faciant, antequam progrediamur, ea, si libet, breviter examinemus carmina, quae cyclica appellantur.

Valde dolendum est tam pauca parcaque fragmenta ut Troianarum ita aliarum fabularum cycli superesse, ut magis divinare atque conicere quam pro certo demonstrare cogamur. Ex iis quidem locis, ubi viris quibusdam herois nomen attribuitur, de eorum cultu nil colligi potest. Ita initio Cypriorum omnes, qui ante Troiam mortui sunt, heroes nuncupantur (Schol. A Iliad. I, 5 = frg. 1 Welcker, Kinkel). Eodem carmine Lynceus *κύδιμος ἥρως* audit (Schol. Pind. N. X, 114 = frg. 9 W. K.), ut in Iliade parva Achilles (Schol. Ar. Eq. 1056 = frg. 2 W. K.) et Polynices in Thebaide (Athen. XI, p. 465 = frg. 2 W. K.) et fortasse ibidem Amphilochus, si cum Welckero (*Ep. Cycl.* II, 346. 552) versus epicos, quos Athen. VII, p. 317a servavit, Thebaidi attribuimus. Sed quamquam hi eodem sensu appellati sunt atque in Homeri carminibus, tamen alias de heroibus sententias extitisse constat e ceteris epici cycli, quae supersunt, fragminibus.

Neque enim omnes heroes iam in Orco habitabant sicut apud Homerum, sed nonnulli in beatorum insulas traducti erant, id quod imprimis de Achille notum est. Quem post mortem a matre Thetide in Leuca insula collocatum esse Arctinus in Aethiopide, antiquissimo carmine cyclico, finxit atque idem Memnonem ab Achille necatum ab Aurora matre immortalem factum esse narravit, quod vir eximius Welcker (*Ep. Cycl.* II, 175) suo iure ita explicat, ut Memnonem in locum aliquem, scilicet Elysio simillimum, ubi immortalem degeret vitam, transportatum intellegat. Simili modo Menelaum Nostis, Diomedem Thebaide celebratum esse veri simillimum videtur nec non in Nostis Telemachum Telegonum Penelopam immortales factos esse Kirchhoff sagacissime

exposuit (l. l. p. 337). Denique in Cypriorum carmine Iphigenia a Diana immortalitate donata erat.

Unde quae colligere licet, cum nondum placeat exponere, sed tum prolaturi simus, cum ad Hesiodi verba reverterimus, antea, num certi quid ad mortuorum religionem illustrandam ex his carminibus efficiatur, quaeramus.

Unus Pausanias memoriae prodidit et Nostos et carmen parum notum, quod inscribitur 'Minyas', necyiam exhibuisse: *Ἡ δὲ Ὁμήρου ποίησις ἡ ἐς Ὀδυσσέα καὶ ἡ Μινυάς τε καλουμένη καὶ οἱ Νόστοι, μνήμη γὰρ ἐν ταύταις καὶ Ἅιδου καὶ τῶν ἐκεῖ δειμάτων ἐστίν, ἴσασιν οὐδένα Εὐρύνομον δαίμονα* (X, 28, 4). Sed de Minyadis Orco nil scimus, nisi quod Pausanias Theseum Perithoumque eo descendisse, Thamyridem et Amphionem ibi scelerum poenas dedisse commemorat (Paus. X, 28, 1. IX, 5, 4. IV, 33, 7), quae res simul cum Charonis mentione recentem carminis originem demonstrant. Nosti autem quae de inferis continebant, ea ad exemplum necyiae Homericae ficta fuisse e paucis, quae iam extant, vestigiis [1]) acute Kirchhoff enucleavit [2]). Huc accedit, quod nonnullis locis de sepulturis quorundam dictum fuit: in Aethiopide Penthesilea et Antilochus humati sunt, Achillis corpus propositum est, tumulus extructus, ludi funebres instituti; in Nostis Neoptolemus Phoenicem, Calchas Leonteus Polypoetes Tiresiam sepeliverunt, sicut in Iliade parva Troiani Paridem. Mortuorum funus in Cypriis commemoratur, procorum in Telegonia. Denique in Thebaide septem ducum exercitus totidem rogis combusti sunt, Amphiaraus autem terra receptus clarrissimus oraculorum editor factus est. Quibus si addas Polyxenam in Achillis sepulcro sacrificatam esse atque viri huius praeclarissimi umbram et Neoptolemo filio ab Ulixe Scyro arcessito et Agamemnoni domum navigaturo apparuisse eumque monuisse, ne proficisceretur, en habes omnia, quae

---

[1]) Paus. X, 29, 3. 30, 3. Athen. VII, p. 281 b.

[2]) L. l. p. 338 sq. — Alias sententias iam profligatas protulerunt vv. dd. Welcker, *Ep. Cycl.* II p. 283. 297 sqq. C. O. Müller, *Gesch. d. grch. Litt.* I p. 115 not. 29. Nitzsch, Meletem. de hist. Hom. II (1837) p. 37.

carmina cyclica de mortuis nobis tradunt. Sunt quidem pauca neque multum ad mortuorum cultum cognoscendum iuvant; tamen iis, quae ex Homeri carminibus cognovimus, nullo modo oblocuntur, verum potius etiam ex his fortasse colligi potest mortuis iamiam maiorem auctoritatem attributam esse. Nam ut omittam religionem, quae sine dubio Tiresiae et Amphiarao vatibus egregiis ad sepulcra oblata est, quo modo intelleges imaginem mortui Achillis Agamemnonem ab itinere abstinuisse, nisi eum iam non mente privatum esse sicut Homeri mortuos putes, cum non tantum Agamemnonem profecturum esse sciat, sed etiam de futura eius sorte timeat [1]). Valet igitur iam illud Aeschyli (Choeph. 315):

τέκνον, φρόνημα τοῦ θανόντος οὐ δαμάζει
πυρὸς μαλερὰ γνάθος.

Mortuos autem, quippe qui tantopere hominum salutem curare putarentur, divos habitos esse manes itaque cultu aliquo honoratos inde qui colligat, facile invenietur.

Cui fortasse obiciat quis Achillis umbrae ea de causa ad homines superstites redire licere, quia ille non mortuus sit, sed e rogo in Leucam insulam transportatus, quod sine dubio Nostorum poeta noverit necesse sit. Itaque cum sit heros divinatione praeditus, ut postea plerumque habebantur heroes [2]), Agamemnoni futura praefatum eum esse. Optime sane! Sed memineris velim Polyxenae miserrimae in Achillis sepulcro mactatae. Quae quidem Achilli non consecrabatur, ut qui in beatorum insulis iucundissimam vitam atque paene divinam degeret, sed qui, cum ipse esset mortuus, illam comitem mortisque consortem secum haberet. Itaque si concedamus Achillem ut heroem prae aliis mortuis insignibus honoribus adfectum esse, id certe ex hoc primo sacrificii heroi cuidam oblati vestigio luce clarius evincitur: heroas, cum

---

[1]) Qua cum re non conferendum esse, quod Patrocli anima nondum sepulti somniantem Achillem aggreditur (ψ, 65), per se unusquisque videt. Ceteroquin Lauer l. l. p. 23 eum locum insiticium esse arbitratus est.

[2]) Cf. Ohlert, *Beiträge zur Heroologie der Griechen. Lauban* 1875. I, 17 sqq.

colerentur, ad sepulcra honoratos esse, et quidem ut praeclaros mortuos, non ut beatos semideos.

Sed revertamur ad Hesiodum, unde deflexit oratio. Non in mentem mihi venit novas addere coniecturas earum cumulo, quae iam vel doctissimis a viris[1]) prolatae sunt de ratione, qua heroum mentio humanis aetatibus et quidem eo, quo extat, loco, inserta sit: semper erunt coniecturae, quae huic placeant, displiceant illi; id tantum pro certo statuendum est hanc de heroibus sententiam in primaria illarum aetatum descriptione locum non habuisse, sed tum quidem cum ea coniunctam esse — licet habeamus cum Lehrsio quinque recensiones aut cum aliis unius poetae redactionem —, cum carmina epica, quibus res summae ante Troiam Thebasque gestae egregie illustratae essent, maximam per totam Graeciam consecuta essent auctoritatem. Hoc enim modo factum est, ut quicunque illos de heroibus panxit versus, non nisi hos Graecorum maiores heroum nomine ornatos commemoraret.

Quae cum ita sint, iam num ullum inter Homerum atque Hesiodum discrimen intercedat, quaeramus. Extat sane, sed non illud est, quod Hesiodus in omnes omnino, qui illis interfuerant bellis, heroas nuncupavit, quod quidem Homerus quoque fecit, verum id, quod diserte addit et divino eos esse genere et semideos appellari[2]). Nam ex hac re evadit heroas, quos maiores Graecorum, ut re vera erant, etiam a poeta habitos esse inde patet, quod in hac humani generis descriptione commemorantur[3]), iamiam genus quoddam numinum esse, quae medium teneant locum inter deos et homines. Quod si verum

---

[1]) Iis, quos laudavit Preller, *Gr. M.* I, 67 not. 4 adice Bergk, *Gr. Litt.* I, 946 sqq. A. Mommsen, *Delphica* p. 106 sqq.

[2]) Moneo in transcursu apud Homerum commemorari *κλέα ἀνδρῶν* (I, 189; *ϑ*, 73.) et *κλέα ἀνδρῶν ἡρώων* (I, 524), sicut apud Hesiodum (Theog. v. 100) *κλεῖα προτέρων ἀνθρώπων*, posteriore autem aetate nos invenire in hac formula *ἡμιθέους* usurpatos; ita bis in Homericis, qui dicuntur, hymnis: XXXI, 18: *γένος ἀνδρῶν ἡμιθέων*. XXXII, 18: *κλέα φωτῶν ᾄσομαι ἡμιθέων*.

[3]) Cf. etiam R. Roth, *Über den Mythus von den fünf Menschenvorstellungen bei Hesiod* etc. *Tübing.* 1860. p. 13 sq., qui v. d. parum accurate locutus est adiciens: '*sie sind nicht zu Wesen einer höheren Art geworden*'.

est, facere non possumus, quin iis religionem aliquam oblatam esse statuamus, cum Graecos, qua semper erant pietate et imprimis vetustissimis temporibus, eos, quos ultra humanam naturam auxerant, non coluisse cogitari omnino non possit.

Huc accedit aliud. Alteram heroum partem bello occidisse itaque ad inferos descendisse, alteram in beatorum sedibus collocatam esse Hesiodus narrat, quod discrimen Homerus non novit, noverunt carmina cyclica. Unde persuasum habeo hunc, quem apud Hesiodum de heroibus legimus, locum tum demum ortum esse, cum illis carminibus heroum quorundam in Elysio collocatio celebrata esset. Quamquam enim certius quid de horum Hesiodi versuum aetate statuere non licet, tamen eo, quod poeta adeo summatim hos heroas laudat, ut iis, qui audirent, aeque noti fuerint opus sit atque omnino bella Troica Thebanaque, sine ulla dubitatione colligi potest aliunde divitum insularum incolas innotuisse. Quod carminibus cyclicis effectum esse proxime ad veri similitudinem accedere neminem fugiet.

Quid autem de horum Hesiodi et cyclicorum felicissimorum heroum cultu iudicabimus? Religione quidem aliqua eos honoratos fuisse, sed non ut beatos Elysii incolas, verum potius ut excellentes defunctos, iam ex iis, quae de Achille supra diximus, evadit. Qua de causa hanc de Elysio sententiam poetarum, non populi fuisse non insulse suspicabimur. Nam vulgus cum omnes heroas, quin etiam eos, quorum beatam in divitibus insulis vitam poetae iucundissimis ornamentis fulgentibusque luminibus depinxerant, usque quaque ad sepulcra coleret, eos non procul a sepulcris distantes habuerit oportet. At poetas talem opinionem prorsus commentos esse putabimus? Minime quidem; sed qui carmina illa panxerunt, id tantum pronuntiabant et amplificabant, quod obscurum populoque ipso nesciente in eius animis iacebat. Quod enim vulgus, quippe quod omnino mortuos procul occidentem versus habitare putaverit, ibidem heroas collocaverit, eos autem, cum viventes egregios sese praestitissent, etiam post mortem vitam singularem et quidem felicissimam vivere arbitratum sit, non sane est, quo miremur. Quam opinionem certioribus et distinctioribus finibus poetae circumscribebant: heroas viventes ibi collocabant, locum depingebant, vitam exornabant; cultus autem sepulcralis esse

ea re non desinebat. Nam non sane quia in Elysio habitarent, colebantur heroes, contra quod maiore religione afficiebantur, ea de causa in egregiis locis prae ceteris mortuis habitare videbantur. Hoc quidem modo optime explicari mihi videtur necessitudo, quae intercedit inter heroum in Elysio collocationem et eorum ad sepulcra cultum; atque doleo, quod virum incomparabilem Welckerum in ea re sequi non possum, quod putat (*Gr. G.* III, 287) alteram sententiam in alteram mutatam esse et quidem consulto cogitateque: utraque extabat uno eodemque tempore, sed haec vulgi et religionis erat, poetarum illa.

Quamquam igitur de cultu heroibus oblato nullum disertum verbum Hesiodus fecit, tamen ex iis omnibus, quae protuli de heroibus et semideis et Elysiis, mihi quidem quam certissime constare videtur, ut cyclicorum ita Hesiodi heroas religionis honoribus dignos habitos esse.

Quod autem hos honores vel ex uno illo Achillis exemplo, quod laudare potueramus, inferos fuisse evadit, inde omnino his temporibus mortuos cultos esse quamvis per se pateat, tamen apertius fit ex ipsius Hesiodi verbis, quibus primum secundum tertium hominum genus describit. Nam nemo hodie invenitur, qui ibi manium cultus vestigia latere neget, quam ad rem probandam satis habeo novissimum, qui hoc commemoravit, auctorem v. d. A. Mommsen[1]) afferre.

E genealogicis carminibus, de quibus disputavit Marckscheffel (Hesiodi, Eumeli cett. frgm.) nihil de heroum aut mortuorum cultu exploratur, nisi fortasse quod Pausanias de Eumelo adnotat (II, 2, 2): *Τάφους δὲ Σισύφου καὶ Νηλέως, καὶ γὰρ Νηλέα ἀφικόμενον ἐς Κόρινθον νόσῳ τελευτῆσαί φασι καὶ περὶ τὸν Ἰσθμὸν ταφῆναι, οὐκ ἂν οὐδὲ ζητοίη τις ἐπιλεξάμενος τὰ Εὐμήλου· Νηλέως μὲν γὰρ οὐδὲ Νέστορι ἐπιδειχθῆναι τὸ μνῆμα ὑπὸ Σισύφου φησί· χρῆναι γὰρ ἄγνωστον τοῖς πᾶσιν ὁμοίως εἶναι· Σίσυφον δὲ ταφῆναι μὲν ἐν τῷ Ἰσθμῷ, τὸν δὲ οἱ τάφον καὶ τῶν ἐφ᾽ αὑτοῦ Κορινθίων ὀλίγους εἶναι τοὺς εἰδότας* (frg. V Marckscheffel, Kinkel). Hunc enim locum primum reliquiarum heroicarum

[1]) *Delphica* p. 107. — Quam quidem ille protulit de epimeniis coniecturam me quidem amplecti non posse aperte profiteor.

religionis documentum habuit Lobeck, Aglaoph. p. 284 sq. Quod si verum est, inde iam Eumeli temporibus sepulcris tutelarem vim attributam esse necesse est, cum alia causa inveniri nequeat, quae, quominus illius mortui reliquiae demonstrarentur, obstaret.

Ab epicis carminibus nos ducit disputatio nostra ad lyricos poetas, qui sive aequales, sive aetate posteriores dignissimi visi sunt, qui perlustrarentur. Nam quo magis eae res, quae hoc poesis genere celebrabantur, hominum ipsorum erant, quo magis ad vitam domesticam et laetitia elatam et oppressam tristitia pertinebant, quo artius erant cum cultu conexae, eo confidentius sperari posse videbatur fore, ut his potissimum carminibus certior heroum et mortuorum religionis notitia deberetur. Sed valde spes fefellit, neque causa e longinquo petenda est, cum propter fragmentorum exiguitatem et tenuitatem certum quoddam iudicium vix admittatur. Unus dumtaxat vates extat, et ipse quidem inter poetas heros, cuius e carminibus quae aetate eius heroum viguerit religio, quam accuratissime cognoscitur. Itaque brevi recensebimus, quae de rebus, de quibus agitur, apud poetas lyricos usque ad Pindarum inveniuntur, qua in re historicum, si placet, ordinem sequamur.

Ac primum quidem *ἡμίθεοι* occurrunt apud Callinum[1]) (frg. 1, 19), qui iis imprimis summam fortitudinem itaque virtutem epicorum heroum propriam attribuit. Dicit enim ille virum fortem laudibus efferens eum, dum vivat, semideis aequiparari[2]), quoniam ob facinora clarissima ab eo solo gesta a vulgo propugnaculum[3]) habeatur:

ζώων δ᾽ ἄξιος ἡμιθέων·
ὥσπερ γάρ μιν πύργον ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶσιν·
ἔρδει γὰρ πολλῶν ἄξια μοῦνος ἐών.

[1]) Adhibui ut apud omnes poetas lyricos editionem Bergkianam quartam.

[2]) Cf. Bergkii adnot. ad hunc locum.

[3]) Ad *πύργον* memineris *λ*, 555 sq.:

τὰ δὲ πῆμα θεοὶ θέσαν Ἀργείοισιν
τοῖος γάρ σφιν πύργος ἀπώλεο.

Callinum[1]) autem heroas mortuos esse putavisse sequitur ex eiusdem elegiae v. 14: nemo mortem effugiet,

οὐδ' εἰ προγόνων ᾖ γένος ἀθανάτων;

sicut in Theognidea collectione Sisyphus, callidissimus heros, in Orco esse celebratur, unde ut dimittatur, Proserpinae persuadet (v. 702 sq.).

Ex iambographis Archilochum hymnum in Herculem composuisse, in quo ille cum Iolao imploraretur, notum est, unde eos imprimisque Herculem cultu honoratos esse apparet[2]).

Alcmanis celeberrimus hymnus, cuius fragmenta in Aegyptiaco sepulcro inventa non ita multo abhinc ad lucem redierunt, antea in Dioscurorum honores conditus putabatur, iamiam autem meliore notitia recuperata illaque opinione a viris doctis reiecta, cui numini dedicatus fuerit, certis rationibus evinci nequit[3]). Itaque ille nihil ad nos; neque id aliquid pensi habet, quod ibi (I, 7) poeta nescio quem ἔξοχον ἡμισίων appellat.

Sed ne Stesichori quidem reliquiae aliquid certi de heroum cultu praebent, id quod eo magis mirandum, quoniam ille omnibus fere carminibus heroum fabulas illustrabat 'maxima', ut verbis Quintiliani[4]) utar, 'bella et clarissimos canens duces et epici carminis onera lyra sustinens', tum quod imprimis eius poemata, ut omnis chorica poesis, cum cultu con-

---

[1]) Eum Calchantis in Claro mortem commemorasse auctor est Strabo XIV, 668 (= frg. 8).

[2]) Pindar. O. IX init. Cf. Bergkii adnot. ad Arch. frg. 119 p. 419.

Non multum iuvat Asii fragmentum, ubi quinam heros ille sit, perspicuum non est, quamquam equidem id ironice dictum esse facere non possum, quin putem. Nam lusit poeta, opinor, hominem illum sorbitionis cupidum tam miserrimam foedamque praebuisse speciem, quam claram et egregiam heroes praestare solent.

[3]) Bergk, P. L. III p. 24 sq. — Tzetzes autem quod in Iliad. 65 ed. Herm. (= Alcm. frg. 108) de herois notione ab Alcmane usurpata protulit, id tam in universum dictum est, ut quales Alcman heroas fuisse putaverit, inde non evadat.

[4]) Instit. Or. X, 1, 62.

iuncta erant[1]). Neque id pro certo statuendum est eum heroas beatos appellasse, cum fragmenti 35, unde id elucere videtur, quantum Stesichoro tribuendum sit, valde dubitetur. Sin autem recte sese habet, quod viri docti ad poetam nostrum revocant, id documento est inter deos et homines eum beatos quosdam collocasse, qui nil nisi heroes habendi sunt.

Sequatur Alcaeus, qui Achillem ut Scythiae regem adfatus est (frg. 48 B), quod non miraberis, si famam de Achille in iis regionibus collocato iam multis annis ante ab Arctino pronuntiatam animo recolueris. Sed sive hanc adlocutionem in hymno (simillimum est hymni in Mercurium conditi exordium: frg. 5), sive in scolio fecit poeta, heroem apud Lesbios magna fructum esse auctoritate inde per se patet. Simile extat poematii fragmentum (48 A), quo Alcaeus Aiacem celebraverat, ubi nescio an recte Bergkius poetam ipsum Aiacem adlocutum esse coniecerit collato scolio 17. Quod autem poeta hos potissimum heroas Achillem et, qui virtute ei proximus erat, Aiacem ita honoravit, eius rei causa fortasse erant notissima eorum sepulcra non ita procul a Lesbo distantia, ubi inferias iis oblatas fuisse Strabo XIII, 596 satis testatur.

Mimnermum Daetae herois mentionem fecisse Demetrius Scepsius ap. Athen. IV, p. 174 a (= frg. 18 Mimn.) auctor est, tamen num iam poeta eum apud Troianos religionis honoribus decoratum esse condiderit, inde apparere non videtur.

Paulo plus praestant fragmenta Ibyci, qui Stesichori vestigia premens etiam carmina ad mythicas fabulas applicabat. Is enim Polyxenam a Neoptolemo Achilli sacrificatam esse condidit (frg. 36), is Achillem in Elysio morantem coniunxit cum Medea (frg. 37), is tandem Diomedem divinis honoribus adfectum esse finxit (frg. 38). Itaque easdem fere de heroibus sententias paululum mutatas et amplificatas apud Ibycum reperimus, quae iam ante in carminibus cyclicis nobis occurrebant.

Quod hic poeta de Achillis cum Medea conubio finxit, id etiam Simonides Ceus carmine celebravit atque ut hac in re

---

[1]) Quin etiam vir summus C. O. Müller, *Griech. Litt.* ^{3}I p. 337 Stesichori carmina e diebus festis in heroum honores per magnam Graeciam celebratis originem traxisse putavit.

congruit cum Ibyco, ita cum Callino in eo, quod heroas mortuos esse putabat. Ita etiam Memnonem in Syria sepultum esse in dithyrambo, qui Memnon inscriptus erat, commemoravit (frg. 27). Eum autem modum, quo poeta Achillem super tumulum Graecis domum navigantibus apparuisse finxerat, nil erat, quod secundum auctorem illius libelli, qui *περὶ ὕψους* inscribitur, claritate antestaret (Long. *π. ὕψ.* c. 15, 7 = frg. 209).

Si igitur breviter recognoscis, quae hactenus tractavimus, videbis non multum de heroum cultu e poetis lyricis inde a Callino atque Archilocho usque ad Pindarum omissis illis, qui ne minima quidem eius religionis indicia exhibent, nos extricasse. In universum heroes, quamquam mortales habentur, tamen semidei atque summa virtute praediti putantur; singuli, ut Hercules Achilles Aiax, hymnis aut scoliis honorantur; Achillem autem in Elysio morari, eius umbram Graecis apparere, Polyxenam mactari eodem fere modo, ut apud cyclicos poetas fictum est.

Sed parciora sunt, quae de mortuorum religione poetarum lyricorum reliquiae exhibent. Nam neque elegiacorum sententiae, ut illud Solonis (frg. 24, 7 sq.):

τὰ γὰρ περιώσια πάντα
χρήματ᾽ ἔχων οὐδεὶς ἔρχεται εἰς Ἀΐδεω·
οὐδ᾽ ἂν ἄποινα διδοὺς θάνατον φύγοι κτλ.,

quae quidem inveniuntur apud omnes fere poetas lyricos, quidquam probant, neque quae extant in Theognidea collectione de luctuoso et umbroso Orco (vv. 244. 707. 973 sq. 1014. 1036 all.)[1]). Id solum docent omnia haec poematia: vivere tantum esse beatum; post fata quae sequantur, omni carere gaudio; cum autem nemo moriendo solvi possit, quam maxime diem esse carpendum. Et hae quidem sunt etiam melicorum poetarum sententiae; cf. Sapph. frg. 68. 137. Stesichor. frg. 50. Ibyc. frg. 27. Anacr. frg. 43. Sed cave, ne hoc silen-

[1]) Hipponactis frg. 54:
Κριγὴ δὲ νεκρῶν ἄγγελός τε καὶ κῆρυξ
quo utrum noctua an mortuorum rumor significatum sit, in medio relinquitur, afferre nil iuvat.

tio usus aut etiam Stesichori fragmentis 51 et 52 nisus[1]) omnino mortuos tum cultos esse neges: ut parum scimus de horum versuum primario nexu, ita exilitas fragminum, quippe quae nonnunquam vilissimarum rerum causa a grammaticis lexicographis aliis laudentur, maxime culpanda videtur, quod cognitio nostra tantopere deficiat.

Itaque iam in eo est, ut accedamus ad Pindarum, quem, cum nemo uberius de heroum religione nos docuerit, paulo accuratius perlustremus.

Ac primum quidem, quos ille heroas habuerit, videamus. Neque late patere quaestionem putabis, quoniam ipsius vatis extat disertum testimonium accuratissimisque finibus adstrictum. Recte tu sane, qui ad frgm. 98 Boeckh revocaturus es. Nam ibi eas animas ab hominibus sacros heroas appellari dilucide adfirmat, quae delictis in Orco expiatis nono anno a Proserpina ad lucem dimissae sub regum summa sapientia virtuteque ornatorum specie in terra morentur. Tamen haec explicatio nihil ad nos, quippe quae prorsus philosophos sapiat: id potius omnibus ceteris locis, ubi noster herois mentionem exhibet, luculenter probatur eos in universum pro heroibus ductos esse, qui vigerent ea aetate, quae antecedit tempora, quae historica dicere solemus; qui ut essent gentium maiores, ita deorum filii eaque de causa semidei, viri fortissimi atque summa omnium illustrium rerum gloria exornati. Eo qui vocantur modo, hi sunt: Ixion (P. II, 31) Hypseus (P. IX, 14); Hercules (N. III, 21) Iolaus (I. I, 17. IV, 28, 32) comites (N. IV, 29); Adrastus (P. VIII, 53. N. IX, 10); Castor Polluxque (N. X, 82. I. I, 17. IV, 28, 32); Pelops (O. IX, 10) Agamemnon (P. XI, 31); Danaidum proci (P. IX, 116) Perseus (I. IV, 28, 33); Aeacus (O. VIII, 42. I. IV, 28, 33. P. VIII, 28) Peleus (I. V, 24. VII, 45.) Aeacidae (N. 5, 7) sodales Aeaci (N. VIII, 9); qui Argonautarum expeditioni intererant (P. IV, 36. 58. 199)[2]), qui bella contra Troianos gerebant (I. V, 27. P. I, 53);

[1]) Frg. 51, Stob. flor. CXXIV. 15:
Ἀτελέστατα γὰρ καὶ ἀμάχανα τοὺς θανόντας κλαίειν.
frg. 52, ibid. CXXVI. 5:
Θανόντος ἀνδρὸς πᾶσ᾽ ἀπόλλυται ποτ᾽ ἀνθρώπων χάρις.
[2]) *Ἡμίθεοι* appellati ib. v. 12. 184. 211.

Locrus auctor Locrorum gentis (O. IX, 95); Aepytus Arcadiae rex (O. VI, 33); Aristoteles conditor Cyrenae (P. V, 95); denique Aesculapius (P. III, 7).

Praeter hos vel maxima multitudo eorum commemoratur, qui quamquam non diserte heroes audiunt, tamen sive quod iisdem temporibus attribuuntur, sive quod iisdem fabulis coniunguntur, eo nomine honorandi sunt; quos quidem hic recensere et longum et inutile est, cum sufficiant exempla prolata. Iam igitur eo processit res, ut non solum qui ad Troiae Thebarumque portas rebus praeclarissime gestis excellebant, sed omnes, de quibus gentis familiae civitatis oppidi artis cuiuslibet mythica origo derivabatur, in heroum numero ducerentur, quod quantum distet ab Hesiodi sententia, per se patet. Hanc heroum copiam, qua iamiam tota Graecia abundabat, neque ad homines neque ad deos pertinere, verum in medio locum habuisse ut demonstremus, iam non coacti sumus longis ambagibus obnoxii semideorum nomen arcessere; ipse poeta nos docet quod volumus; cf. O. II, 2: *τίνα θεὸν, τίν᾽ ἥρωα, τίνα δ᾽ἄνδρα κελαδήσομεν;* Vide etiam P. VIII, 27 sq., ubi opponuntur heroes atque viri.

Porro id in quaestionem licet vocare, quo loco heroes post mortem habitantes putarentur; nam neque Pindarus eos dira moriendi necessitate solvit, verum potius mortuos demum heroas habuisse videtur. cf. Pyth. V, 94 sq.:

μάκαρ μὲν ἀνδρῶν μέτα
ἔναιεν, ἥρως δ᾽ἔπειτα λαοσεβής[1]*);*

neque populus, cui rei documento est magna heroum sepulcrorum multitudo, cuius noster mentionem fecit. Atque ut in universum eos in Orco morari intellegas, inspicias modo I. VIII, 55 sq. P. XI, 21 sq. all., quibus locis succurrit, quod heroas ad sepulcra potissimum cultos esse Pindarus ipse plus semel testatur. Pauci verum in beatorum insulis collocati commemorantur: Rhadamanthys Cadmus Peleus Achilles (O. II, 126 sqq.), e quibus Rhadamanthys iam in Odyssea in Elysio positus, Achilles ab Arctino eo transportatus nobis occurrerunt; Cadmum et Peleum[1]), quos noster primus ad *Κρόνου τύρσιν* evehit, alio loco ipse summae fortunae participes fuisse finxit (P. III, 88 sqq.). Sin autem poeta non nisi eos, qui triplici apud inferos, triplici in luce vita perfuncti animos scelerum integros adservaverint, beatissimorum sorte dignos haberi adfirmat, id quoque mysticorum est neque nostra refert. — Pauci denique in deorum consessum, aliqua saltem ex parte, admissi sunt: Semele Ino Hercules (itaque *ἥρως θεός*) Dioscuri.

[1]) Probe teneas hoc esse primum disertis verbis prolatum testimonium consecrationis, qua vir praestans et quidem *κτιστής* post mortem heros factus sit.

Pergamus ad vim potestatemque, quam heroibus attributam esse omnibus fere Pindari carminibus luculentissime illustratur[2]). Quod declarant primum crebrae illae preces, quibus heroes implorantur; v. c. cf. O. III, 1 sqq. P. XI, 1 sqq. I. I, 30 sqq. Quas praecipue propter victorias reportatas factas esse si apparebit, non est, quo miremur, cum carmina nostra sint epinicia. Praeterea heroes iamiam ludis gymnicis praefecti quasi custodum munere fungebantur, sicut poeta ob eam rem Neoptolemum Delphis necatum esse tradidit (*ἡρωΐαις δὲ πομπαῖς θεμίσκοπον οἰκεῖν ἐόντα πολυθύτοις εὐώνυμον ἐς δίκαν;* N. VII, 46 sqq.), atque eorum erat victoriam aut concedere aut denegare; cf. N. X, 52 sqq. O. III, 36 sq. Vota autem, quae poeta Iphicli et Herculi spoponderat, ipse carmine solvit (P. IX, 86 sq.).

Neque vero his artis finibus heroum circumscripta est vis. Etenim etiam pro salute cum singulorum hominum, tum totius gentis suo quisque loco invocari solebant. Eiusmodi heroas recensitos invenies v. c. N. IV, 46 sqq.[3]). Ut autem unum tantum talis precationis adferam exemplum, satis habeo laudare

[1]) Quod Peleus (I. V, 25.) *εὐδαίμων γαμβρὸς θεῶν* audit, id statim in mentem revocat Homeri locum, ubi Menelaum ea de causa in Elysium venturum esse pronuntiatur (δ, 569),

οὕνεκ᾽ ἔχεις Ἑλένην καί σφιν γαμβρὸς Διός ἐστι.

[2]) Plurima cum de hac re, tum de heroum cultu e Pindari carminibus collegit atque disposuit Conradus Ohlert dissertatione, quae inscribitur De Heroologia Pindarica, quae quindecim abhinc fere annis Regimonti prodiit.

[3]) Alios collegit Ohlert l. l. p. 29 sqq.

N. VIII, 13 sq. In universum tanta comitate atque benignitate heroes erant, ut is, qui prope ad alicuius sacrum habitabat, ob eam viciniam singularem in modum herois praesidio sese frui persuasum haberet. Sic Alcmaeon, cuius ad heroum domus Pindari sita erat, a poeta κτεάνων φύλαξ ἐμῶν appellatur (P. VIII, 58), unde heroas etiam futuras res praevidere posse sequitur; cf. N. VII, 89 sq.

Eorum igitur opera civitas florebat, excellebant cives, iis debebantur virtutes, iis opes atque gloria. Atque vides iam eo provectam esse heroum auctoritatem, ut maior fere eorum auxilio fides haberetur quam deorum. Id quod tam praeclare eximius vir Lobeckius exposuit, ut ipsius verba describere mihi liceat (Aglaoph. II, 1283 sq.): 'Quemadmodum hodie gens superstitioni obnoxia, adversa religioni, deum raro invocat, Sanctos saepissime, his se quisque in clientelam commendat, horum praesidio salvum se incolumemque fore credit, adaeque veteres pagani Coelicolas procul a se et difficiles aditu rati genus quoddam daemonum introduxerunt diis et hominibus interiectum ex eorum numero, qui aliquando in terris vixissent, quos propter communitatem ortus commodis suis melius promtiusque inservituros crederent. Inter hos Herculem constat et Dioscuros principem obtinuisse locum, quorum numen cuncta adoravit Graecia; sed fuere praeterea multi municipales et vicani genii suis quique locis venerabiles, exteris ignoti eoque notitiae nostrae subtracti.'

Ex his omnibus, quae modo de potestate heroibus vindicata adumbravi, eos cultu aliquo honoratos esse, licet nulla alia de causa, quam ut propitii redderentur, per sese pateret. Neque tamen coniecturis ac conclusionibus satis habere coacti sumus: extant ut plurima, ita accuratissima Pindari testimonia, quibus non solum honores iis oblatos esse, sed etiam qui illi fuerint honores, dilucide explicatur.

Ac prima quidem heroes colendi ratio in eo versabatur, quod iis inferiae sive enagismata quotannis et sub solis occasum ad sepulcra aut cenotaphia offerebantur; inspicias O. I, 93 sq. N. VII, 46 sq. I. III, 79 sq.[1])

[1]) Ohlert l. l. p. 7 sqq., ubi, quae apud Pindarum commemorantur, heroum sepulcra et sacella invenies.

Tum epularum sacra vel lectisternia iis parata esse nonnullis locis demonstratur, de quibus iam antea in ciborum sacris explicandis locutus sum[1]). Quos hoc modo cultos commemorat poeta, sunt Dioscuri una cum Helena Hercules Delphici heroes, fortasse quoque Thebanae heroinae et Aiax Oilei filius.

Ut igitur epulae heroibus consecrabantur, adaeque in eorum usum in conviviis altera potionis libatio profundebatur. Quem morem Pindarus non sine magna elegantia et suavitate carminis Isthmici quinti exordio innexuit.

His porro addas carmina, quibus heroum laudes in epulis celebrabantur, et hymnos, quibus solemniorem in modum invocabantur atque honorabantur.[2])

Denique in heroum honores magna ludorum gymnicorum copia agebatur, sicut Thebis Iolaia et Heraclea, Orchomeni Minyea, apud Locros Aeantea, Phylacae ad Pagasaeum sinum Protesilaea, Marathone Heraclea, Megarae Dioclea et Alcathoa, Aeginae Aeacea, Epidauri Asclepiea, apud Rhodios Tlepolemia[3]). Quos quidem ludos plerumque funebres fuisse et sepulcra, ad quae instituebantur, docent et coronae myrteae victoribus praemio datae, quippe quos flores imprimis mortuis consecratos fuisse notum sit[4]).

Haec sunt, quae de heroum apud Pindarum religione monenda habeam; restat, ut breviter stringamus, quae ille de mortuorum cultu memoriae prodidit. Ipsas quidem colendi caerimonias frustra requires, nisi ad inferias revoces illa sacra, quae mortuis Herculis liberis a Thebanis offerebantur. Qui cum sane in heroum numero habendi sint, vides iam, quam prope distet heroum colendi ratio a mortuorum honoribus. Nihilominus occurrunt nonnulli loci, quibus tolluntur omnes dubitationes de vi defunctis attributa. Ita imprimis laudandi sunt O. VIII, 77 sq.:

[1]) Vide supra p. 12 sq. Cf. Deneken l. l. p. 11 sqq. Ohlert l. l. p. 23 sq.

[2]) Cf. Ohlert l. l. 18 sqq. — Pindari fere temporibus deberi videntur scolia illa pulcherrima in Harmodium atque Aristogitonem composita (scol. 9 sqq. Bergk).

[3]) Ohlert l. l. p. 25 sqq.

[4]) Bötticher, *Baumkult d. Hell.* p. 452 sqq.

ἔστι δὲ καί τι θανόντεσσιν μέρος
καν νόμον ἐρδόμενον [1]).
κατακρύπτει δ' οὐ κόνις
συγγόνων κεδνὰν χάριν.

Verba ibi facit noster de gloria et laudibus, quas Blepsiadae victoriis egregie reportatis consecuti sunt. Quibus honoribus non solum superstites cognati fruuntur, sicut Alcimedontis avus (v. 70), verum etiam defuncti maiores praeclaro familiarium decore delectantur, quod quominus percipiant, sepulcrorum pulvis non obstat. Atque pulcherrime vates hanc cognatorum gloriam vel pro inferiis mortuis oblatam esse dicit; nam sententiam Boeckhii, qui verbis *καν νόμον* poetam ad inferias rite consecratas respicere summo iure vidit, cur non amplectamur, nescio. Extat igitur, cum usitatum fuisse mortuos honoribus quibusdam adficere inde colligas necesse sit, certa eius rei mentio, quae *τὰ νομιζόμενα* a Graecis appellata saepissime apud posteriores auctores [2]) occurrit. Re autem vera de mortuis hominibus, non de heroibus poetam cogitasse docent versus sequentes, quibus Iphion nuntio victoriae adlato Callimachum adloquitur. Nam Iphionem patrem, Callimachum patruum Alcimedontis, utrumque mortuum esse scholiasta adnotat.

Item O. XIV, 20 sqq. patri defuncto filium vicisse nuntiatur ita tamen, ut non *Ἀγγελία*, sed *Ἠχὼ* a poeta in Proserpinae regnum demittatur [3]). Unus locus reliquus est de quo pauca addam, cum aliquantulum distet ab iis, quos modo commemoravi: Pyth. V, 96 sqq. De heroe Aristotele locutus poeta pergit: Seorsum autem ante domus, inquit, iacent alii sacri reges, qui mortem subierunt, ibique sub sepulcris suam felicitatem filiique gloriam percipiunt. Quemadmodum igitur locis laudatis maiores defuncti cognatorum honoribus fruuntur, adaeque nostro loco; accedit verum, quod hic regii maiores sacri appellantur. Unde facile suspicio nascitur hos reges

---

[1]) Sic cum codd. Boeckh Bergk; *ἐρδομένων* Schmidius, quem secutus est Christ nescio qua usus ratione, cum iam Boeckhius ad l. l. hanc refutaverit coniecturam.

[2]) Ut unum adferam Isaeum; cf. Schömann ad I, 10 p. 182 sq.

[3]) Cf. Dissen, Adnotat. p. 389.

etiam heroas habitos fuisse, praesertim cum mythicum conditorem excipiant. Sin autem hoc verum esse ob verba *χθονίᾳ φρενὶ* tibi non persuadebis, id tamen concedes hos mortuos, cum divi fuerint manes, honoribus decoratos fuisse.

Haec quidem, quamquam sunt omnia, quae huiusmodi proferantur, tamen sufficiunt, ut intellegas mortuos iam non esse *ἀμενηνὰ κάρηνα*, sed curare hominum familiarium sortem, quocirca iis cultus ad ritum quendam moderatus oblatus sit. Qua in re explicanda silentio praetermisi et illas Pindari sententias, quae de hominum aut bona aut mala, quam post fata degant, vita non semel imprimisque in threnorum fragmentis inveniuntur, et illas ad metempsychosin, quae pertinent. Nam hae positae in eo, quod hominum res hic gestae in altera vita aut praemiis aut poenis solvi putabantur, cuius opinionis exempla iam in novissimis Odysseae partibus exhiberi sat notum est, sive originem traxerunt e mystica Orphicorum religione sive e philosophis, optime quidem docent, quanta sit sententiarum ad mortuos spectantium mutatio inde ab antiquissimis usque ad Pindari tempora [1]), tamen ad ipsum mortuorum cultum recognoscendum nihil valent.

Pindaro unum tantum poetam subiungam, cum ei certum quoddam heroum religionis testimonium debemus, Bacchylidem. Nam Athenaeus (VI, 100 b = frg. 28) poetam Dioscuros ad xenia invitantem hos versus panxisse auctor est:

Οὐ βοῶν πάρεστι σώματ', οὔτε χρυσός, οὔτε πορφύρεοι
τάπητες, ἀλλὰ θυμὸς εὐμενής
Μοῦσά τε γλυκεῖα καὶ Βοιωτίοισιν ἐν σκύφοισιν οἶνος
ἡδύς,

ubi de lectisterniis illis heroibus apparatis dictum esse manifestum est [2]). In transcursu moneo Bacchylidem finxisse Minervam Tydeum immortalem reddituram fuisse (frg. 54).

Iis autem, quae de mortuorum cultu cognovimus, optime factum est, ut auxilio eat titulus antiquissimus in Cea insula repertus postremum a Röhlio editus (I. A. Gr. n. 395), qui

---

[1]) Lobeck, Aglaoph. I, 316 fin.

[2]) Deneken, De Theoxen. p. 8.

de sepultura praecepta exhibet. Quae cum summo iure a viris doctis VI a. Chr. saec. vindicari videantur[1]), optime docent, quantopere Graeci *τοῖς νομιζομένοις* mortuorum honores curaverint.

Heroum de religione ex antiquissimis inscriptionibus nil discimus nisi fortasse heroi cuidam vasculum dedicatum esse (Röhl, I. A. Gr. n. 29); tamen ne de eius aetate quidem aliquid certum constat[2]).

Hic subsistamus. Etenim uterque amnis, heroum dico et mortuorum religionis, adsecutus ea aetate, ad quam iam pervenimus, tantam vim atque magnitudinem ruit inde ab his temporibus per totam Graeciam vastas saepe fundens undas. Qua re cum iam nihil magis constet, plura addere inutile non minus quam supervacaneum videtur.

Itaque retro animum vertamus et quid viae confectum sit a nobis, breviter recognoscamus.

Exploratum habemus heroas altera ex parte eodem plane modo cultos fuisse atque defunctos, h. e. inferiis ad sepulcra vel cenotaphia sive concremando sive profundendo oblatis; altera autem honorandi ratione versante in ciborum consecratione, qui iis nescio an in domibus templisque propositi sint, eandem cum mortuis et diis inferis intercedere necessitudinem probari. Quae cum ita sint, veri simillimum videtur heroas nil esse nisi certum quoddam genus inferorum (*τῶν χθονίων*). Si igitur quis religionem mortuorum ex heroum honoribus ortam esse persuasum habet, eum idem de universo deorum inferum cultu adfirmare debere e praegressis per se patet. Quod quantopere mirabile non solum, sed etiam perversum sit, non est, quo explicem.

Atque ego quidem arbitror haec sane sufficere, ut opinio illa reiciatur. Sed accedunt praeterea, quae porro extricavimus in utraque religione comparanda ex veterrimis Graecorum scriptoribus. Sunt autem haec. In Homeri carminum antiquissimis partibus defunctorum quidem reli-

[1]) Cf. U. Köhler, *Mittheilgg. d. d. arch. Inst. z. Ath.* I, 139 sqq.
[2]) Cf. Milchhöfer, *Mittheilgg. etc.* I, 313.
Liceat hic adnotare neque philosophorum priorum neque orphicorum neque historicorum reliquias ad nostrum propositum aliquid prodesse.

gionis certa vestigia occurrunt, nulla heroum, qui potius in illis carminibus non nisi homines mortales habentur. Ea demum, qua cyclica carmina nata sunt, aetate heroes coli coepti sunt. Ut autem primum sacrificium heroi oblatum pro inferiis factum est, ita heroum sepulcrorum religio Eumeli temporibus occurrit. Apud Hesiodum heroes iamiam medium inter homines et deos locum tenent, sicut mortui ad daemones evecti ibi inveniuntur. Ita heroum cultus pedetemptim succrescebat eo quidem modo, ut apud Pindarum eum quam latissime patere appareat. Quibus explicatis extra ullam sane dubitationem demonstratur heroum cultum non posse antecessisse defunctorum religionem. Etenim manium cultus non solum iam extat, cum de heroum ne cogitari quidem licet, verum etiam ubi primum occurrit, iam talis occurrit, qualem postea usu constabilitum videmus, id quod veteres ipsi non nesciebant, sicut testatur Aristoteles (Eudem. frg. 40): *καὶ τὸ ψεύσασθαί τι κατ᾽ αὐτῶν καὶ τὸ βλασφημεῖν οὐχ ὅσιον ὡς κατὰ βελτιόνων ἡγούμεθα καὶ κρειττόνων ἤδη γεγονότων · καὶ ταῦθ᾽ οὕτως ἀρχαῖα καὶ παλαιὰ διατελεῖ νενομισμένα παρ᾽ ἡμῖν ὥστε τὸ παράπαν οὐδεὶς οἶδεν οὔτε τοῦ χρόνου τὴν ἀρχὴν οὔτε τὸν θέντα πρῶτον, ἀλλὰ τὸν ἄπειρον αἰῶνα τυγχάνουσι διὰ τέλους οὕτω νενομισμένα* (cf. frg. 33). Heroibus autem honores, ut res pes se tulit, sensim exorti magis magisque attribuebantur. Atque si posteriore aetate mortui plurimi in heroum numerum evehebantur, hac re non probatur mortuorum religionem reverti ad heroum cultum, id quod vult Nägelsbach, *Nachhom. Theolog.* p. 110; contra potius id elucet heroum notionem iamiam divulgatam delapsam esse ad mortuorum venerationem, unde originem traxerit.

CAPUT II.

Maximam ac paene innumerabilem esse multitudinem eorum, quibus a Graecis heroici honores impertiti fuerint, necnon extare nullum fere vetusti terrarum orbis locum, quem Graeci obtinuerint, ubi vestigia huius religionis prorsus desint, sat notum est. Qua de causa quantopere apertissima heroum notitia ad mores instituta omnino ad totam veterum vitam recognoscendam valeat, cum per se pateat, non sine fructu factum videtur, ut id, quod iam de eorum religione cognitum est, paulo amplificare conemur, et primum quidem accuratiore instituta in eos disquisitione, qui potissimum inter heroas consecrari solebant.

Horum non minima sane pars illi sunt, qui sive ut gentis urbisque conditores publice, sive privatim ut familiae auctores colebantur, tum qui ut artificii alicuius inventores atque patroni ab opificum collegiis honorabantur [1]), porro qui latis legibus quasi denuo civitatem creaverant, denique ii, qui primi erant numinis alicuius sacerdotes. Quibus quidem omnibus id commune est atque proprium, quod origines initiaque aliqua de iis

---

[1]) Licet ii non nisi ficti sint, ut plurimi heroes eponymi, qui dicuntur; cf. Polemon. ap. Athen. II, 39 c: *Πολέμων φησὶν ἐν Μουνυχίᾳ ἥρωα Ἀκρατοπότην τιμᾶσθαι, παρὰ δὲ Σπαρτιάταις Μάττωνα καὶ Κεράωνα ἥρωας ὑπό τινων μαγείρων ἱδρῦσθαι ἐν τοῖς φιδιτίοις· τιμᾶται δὲ καὶ ἐν Ἀχαΐᾳ Δειπνεύς, ἀπὸ τῶν δείπνων σχὼν τὴν προσηγορίαν.* Quod paulo amplius exhibet Demetrius Scepsius ibid. IV, 173 f. — Vide etiam Herod. VI, 60 et VII, 134 sqq. coll. Paus. III, 12, 6. Hesych. s. v. *Θεοκήρυκες*. Cf. R. Schoell, De communibus et collegiis quibusdam Graec. Satura philolog. Herm. Sauppio oblata. 1879. p. 176.

deducebantur. Cum autem de prioribus illis tribus heroum generibus satis actum videatur, me statim ad sacerdotum gregem convertam, quam sis iam examinabimus.

Primum id mihi notare liceat non paucos esse mythicos heroas, qui quamquam aut singularem in modum aut primi numen aliquod coluisse putabantur, non ideo inter heroas locum habebant, sed quia pro tota indole atque natura semidei videbantur.

Memineris tales iam in fabularum collectionis, quae sub Hygini nomine fertur, capite CCXXV, quod inscribitur: 'Qui primi templa deorum constituerunt', compositos esse. Sunt autem verba haec: 'Aedem Iovi Olympio primum fecit Pelasgus Triopae filius in Arcadia. Thessalus templum [quod est in Macedonia] [1]) Iovis Dodonaei in terra Molossorum. Eleuther primus simulacrum Liberi patris ** constituit et quemadmodum coli deberet ostendit. Phoroneus Inachi filius templum Argis Iunoni primus fecit. Otrea Amazon Martis coniunx templum Dianae Ephesi prima fecit, quod postea † a rege restituerunt. Lycaon Pelasgi filius templum Mercurio Cyllenio in Arcadia fecit. Pierus ....' Vides auctorem huius fragmenti unum cuiusque numinis primarium sacerdotem attulisse; facile tamen est eorum numerum augere. Ita Pausanias (III, 2, 2) narrat Cecropem fuisse primum, qui Iovem Maximi cognomine honoraverit eique placentas vernaculas immolaverit, quocirca Diasiorum festi conditor habitus sit necesse est [2]). Eodem heroe regnante *ἔδοξε τοῖς θεοῖς πόλεις καταλαβέσθαι, ἐν αἷς ἔμελλον ἕχειν τιμὰς ἰδίας ἕκαστος.* Qua in re certamine de Athenis exorto inter Minervam et Neptunum, deae urbs adiudicata est *Κέκροπος μαρτυρήσαντος ὅτι πρῶτον τὴν ἐλαίαν ἐφύτευσεν* (Apollod. III, 14, 1). Praeter ceteros autem Erichthonius Minervam honoribus adfecisse dicebatur numinis simulacro ligneo in arce consecrato institutoque die Panathenaicorum festo (Apollod. III, 14, 6). Cuius deae cultus Lindi primum a Cadmo celebratus est, Troiae ab Ilo

---

[1]) Uncis seclusit ea post verba 'Liberi patris' collocanda suspicatus M. Schmidt.

[2]) Cf. Preller, *Gr. M.* II, 137 not. 3.

(ibid. II, 1, 4. III, 12, 3). Erechtheus Nemesi Rhamnusiae honores consecravit (Suid. s. v. *Ῥαμνούσια*); Theseus Atheniensibus unam in urbem coactis *τὴν Πάνδημον σέβεσθαι καὶ Πειθὼ κατέστησε* (Paus. I, 22, 2); Triptolemus Cereri sacra instituit (Hygin. fab. 147). — Locuples est locus, quem de Charitibus earumque religione Pausanias exhibet (IX, 35, 1): *Τὸν δὲ Ἐτεοκλέα λέγουσιν οἱ Βοιωτοὶ Χάρισιν ἀνθρώπων θῦσαι πρῶτον · καὶ ὅτι μὲν τρεῖς εἶναι Χάριτας κατεστήσατο ἴσασιν, ὀνόματα δὲ οἷα ἔθετο αὐταῖς οὐ μνημονεύουσιν · ἐπεὶ Λακεδαιμόνιοί γε εἶναι Χάριτας δύο καὶ Λακεδαίμονα ἱδρύσασθαι τὸν Ταϋγέτης φασὶν αὐτὰς καὶ ὀνόματα θέσθαι Κλήταν καὶ Φαεῖναν* [1]). Sed quid multa? Quam enim saepe numinum religiones ab heroibus et quidem imprimis a *κτισταῖς, ἀρχηγέταις* originem ceperint, cum exemplis prolatis satis docetur, tum clarissime illustratur cognominibus deorum a cultoribus vel conditoribus sacrorum acceptis, de quibus vide Lobeck, Aglaoph. p. 1333 sqq.

Huc etiam amasiunculi numinum pertinent, qui nonnunquam sacerdotum munere fungi putabantur. Notissima sunt Hesiodi de Phaethonte Veneris amasio verba (Theog. 988—991):

τόν ῥα νέον, τέρεν ἄνθος ἔχοντ᾿ ἐρικυδέος ἥβης
παῖδ᾿ ἀταλὰ φρονέοντα φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη
ὦρτ᾿ ἀνερειψαμένη, καί μιν ζαθέοις ἐνὶ νηοῖς
νηοπόλον μύχιον ποιήσατο δαίμονα δῖον.

Quibus versibus simillimus est locus B, 549, quamquam ibi Erechtheus non disertis verbis Minervae aedituus sacerdosque audit. Idem Hesiodus Cychreum a Cerere Eleusine exceptum et sacerdotem factum esse finxerat, unde heroem a dea amatum esse nostro iure colligemus [2]). Memineris quoque Pindarum Cinyram *ἱερέα κτίλον Ἀφροδίτας* appellavisse (P. II, 31), sicut Attin sacerdotem Magnae Matris habitum esse (cf. Catull. LXIII, 90).

---

[1]) De nexu, qui intercedit inter *ἱδρύεσθαι* et *ὄνομα τίθεσθαι*, cf. Welcker, *G. G.* II, 42 sq.

[2]) Hesiod. ap. Strab. IX, p. 393 = frg. 127 Kink.: *ὑποδέξασθαι δὲ αὐτὸν τὴν Δήμητρα εἰς Ἐλευσῖνα καὶ γενέσθαι ταύτης ἀμφίπολον.* — De heroe Cychreo eiusque cultu cf. Diod. IV, 72. Paus. I, 36, 1. Plut. Sol. 9.

De quibus quod valet, id cadit nimirum imprimis in earum gentium, quae publico alicuius numinis sacerdotio praeerant, maiores et conditores, qui numinis erant sacerdotes *κατ᾿ ἐξοχήν*. Nam ut a Cinyra derivabantur Cinyradae Veneris sacerdotes [1]), ita ab Hesycho Hesychidae, a Buta Eteobutadae cett. [2]). Quin etiam amplae fingebantur fabulae mythicae, quibus tales familiae sese sacerdotii privilegium summo iure sibi vindicare demonstrarent. Legas narratiunculam de Pelopis osse reperto, quam exhibet Paus. V, 13, 3. Scapula herois Troiam auxilio arcessita et in reditu ad Euboeam mari demersa multis annis post a Damarmeno piscatore Eretriensi inventa est. Qui cum vasta ossis magnitudine obstupefactus ab oraculo Delphico quaereret, cuius esset illa scapula, iussus est eam Eleis, qui forte eo quidem tempore a deo auxilium petebant, tradere. *Καὶ οἱ ταῦτα ποιήσαντι ἄλλα τε ἀντέδοσαν Ἠλεῖοι καὶ Δαμάρμενόν τε αὐτὸν καὶ ἀπογόνους τοὺς φύλακας σφᾶς εἶναι τοῦ ὀστοῦ.*

His maxime adiungendi sunt illi familiarum auctores, qui, cum ad eos ob singularem eorum pietatem dii devertisse putarentur, in heroum numero habebantur. Dii enim illi, quos hi maiores exceperant quorumque primi sacerdotes esse videbantur, postea a familiis pro *θεοῖς πατρῴοις* colebantur. Hos igitur non solum ea de causa inter heroas consecratos esse, quod essent gentium familiarumque auctores, quos omnes Graecos usque quaque coluisse sat constat, sed potius quia singularem in modum deorum religioni se dederent, cum multa alia testimonia probant [3]), tum imprimis illud *ἐπίγραμμα ἐπιτύμβιον*, quod de Phytalo Phytalidarum gentis auctore [4]) Pausanias (I, 37, 2) nobis servavit:

Ἐνθάδ᾿ ἄναξ ἥρως Φύταλός ποτε δέξατο σεμνὴν
Δήμητραν, ὅτε πρῶτον ὀπώρας καρπὸν ἔφηνεν,
ἣν ἱερὰν συκῆν θνητῶν γένος ἐξονομάζει ·
ἐξ οὗ δὴ τιμὰς Φυτάλου γένος ἔσχεν ἀγήρως.

---

[1]) Hesych.: *Κινυράδαι · ἱερεῖς Ἀφροδίτης.*

[2]) Cf. Hermann-Stark, *Gott. Alt.* § 34, 18. C. Keil, Specimen onomatol. Graec. p. 30.

[3]) De hospitiis divinis cf. Deneken, De Theoxeniis. Cap. II.

[4]) De Phytalidis cf. O. Müller, *Prolegg. z. e. wiss. Myth.* p. 272.

Itaque iam in medio eorum nos esse vides, qui, quod cultum numinis instituerant, heroicis honoribus adficiebantur, quos si placet, paucis exemplis augeamus.

Fama vigebat apud Patrenses Eurypylum filium Euaemonis *Διονύσου* religionem Patras attulisse, quam fabulam multis miris ambagibus depictam e Pausania (VII, 19, 1 sqq.) discimus. Herois sepulcrum conspicuum erat inter aram et aedem Dianae, cuius cultum hominum immolandorum consuetudine solverat, atque ibi ei anniversaria sacrificia offerebantur, quotiens Bacchi festum diem obibant (*καί οἱ καὶ ἐναγίζουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος, ἐπειδὰν τῷ Διονύσῳ τὴν ἑορτὴν ἄγωσι*). Quodsi auctor addit esse nonnullos, qui hunc Eurypylum Dexameni regis Oleni filium fuisse narrarent, hac in re videtur diversas fabulas inter se confudisse. Nam non intellexit hunc Dexamenum esse eundem Oeneum Calydonis regem, qui primus a Baccho vites accepisse putabatur [1]) saepissimeque cum Oleni rege commiscebatur [2]). Tum fortasse quod Pausanias in *Διόνυσον Αἰσυμνήτην* dictum esse putavit, id ad *Διόνυσον Καλυδώνιον* spectabat [3]).

In eadem urbe colebatur Preugenes, qui Dianae Limnatidis cultum condidisse narrabatur deae simulacro Sparta clam eo adlato. Sepultus erat in numinis templo, cuius cum solemnis festus agebatur, heroico ritu honorabatur [4]).

Haud diversi erant honores heroi cuidam Spartano attributi, qui Baccho viam Spartam ducentem monstraverat, i. e. qui eius religionem Spartae instituerat. Etiam ei ante Bacchi

---

[1]) Apollod. I, 8, 1: *Οἰνεὺς δὲ βασιλεύων Καλυδῶνος παρὰ Διονύσου φυτὸν ἀμπέλου πρῶτος ἔλαβεν.*

[2]) Preller, *Gr. M.* II, 245.

[3]) Paus. VII, 20, 1: *Τῷ θεῷ δὲ τῷ ἐντὸς τῆς λάρνακος ἐπίκλησις μέν ἐστιν Αἰσυμνήτης.* — 21, 1: *Καὶ Διονύσου κατὰ τοῦτο τῆς πόλεώς ἐστιν ἱερὸν ἐπίκλησιν Καλυδωνίου.*

[4]) Paus. VII, 20, 4: *Ἐχόντων δὲ ἤδη Λακεδαίμονα καὶ Ἄργος Δωριέων ὑφελέσθαι Πρευγένην τῆς Λιμνάτιδος τὸ ἄγαλμα κατὰ ὄψιν ὀνείρατος λέγουσιν ἐκ Σπάρτης, κοινωνῆσαι δὲ αὐτῷ τοῦ ἐγχειρήματος τῶν δούλων τὸν εὐνούστατον.* — 5: *Τούτου δὲ τοῦ τεμένους ἐστὶ καὶ ἄλλα τοῖς Πατρεῦσιν ἱερά · — — πρὸ δὲ τῆς Ἀθηνᾶς τοῦ ἱεροῦ Πρευγένους μνῆμά ἐστιν · ἐναγίζουσι δὲ καὶ τῷ Πρευγένει κατὰ ἔτος, ὡσαύτως δὲ καὶ Πατρεῖ τὴν ἑορτὴν τῇ Λιμνάτιδι ἄγοντες.*

festum a sacerdotibus inferiae parabantur; cf. Paus. III, 13, 5: *Ἀπαντικρὺ δὲ ἥ τε ὀνομαζομένη Κολώνα καὶ Διονύσου Κολωνάτα ναός, πρὸς αὐτῷ δὲ τέμενός ἐστιν ἥρωος, ὃν τῆς ὁδοῦ τῆς ἐς Σπάρτην Διονύσῳ φασὶ γενέσθαι ἡγεμόνα · τῷ δὲ ἥρωϊ τούτῳ πρὶν ἢ τῷ θεῷ θύουσιν αἱ Διονυσιάδες καὶ αἱ Λευκιππίδες.*

Neque tamen viri tantum ita excellebant, verum etiam feminae novi numinis cultu condito heroum ordini adscriptae praeclara eorum religione fruebantur.

Ita apud Eleos quae prima Bacchum colebat, Physcoa cum alios honores, tum id accepit, quod chorum aliquem in Iunonis festo actum ab ea denominabant. Qua de re cf. Paus. V, 16, 5: *Διονύσῳ τιμὰς λέγουσιν ὑπὸ Ναρκαίου* (qui erat Physcoae, quem e dei consuetudine pepererat, filius) *καὶ Φυσκόας δοθῆναι πρώτων. Φυσκόας μὲν δὴ γέρα καὶ ἄλλα καὶ χορὸς ἐπώνυμος παρὰ τῶν ἑκκαίδεκα γυναικῶν κτλ.*

Haec etiam erat causa, cur oraculum Dodonaeum Pelargae Thebis sacra offerri iussit. Illa enim Cabirorum cultum diu oblitteratum atque neglectum denuo instauravit (Paus. IX, 25, 6). Quamquam autem quod de hac re auctor noster refert, fortasse ab eo ipso male intellectum [1]) aut mutilate traditum est, tamen id pro certo statuendum est non usui Graecorum obstrepuisse pios homines, qui pro deorum sacerdotibus sive primis sive posterioribus haberentur, singularem in modum heroicorum honorum participes reddi.

Subsistamus igitur in prolatis, ut alia pauca, quae inde colligantur, breviter pertractemus. Nam si perlustres locos laudatos, invenies nonnunquam sacra illis heroibus oblata esse ante festum diem eius numinis, cuius sacerdotes fuerint. Quibus succurrit Polemon ap. schol. Soph. Oed. Col. v. 489 (= frg. XLIX Prell.): *τοῦτο* [scil. *ἄπυστα φωνῶν*] *ἀπὸ τῆς δρωμένης θυσίας ταῖς Εὐμενίσι φησί · μετὰ γὰρ ἡσυχίας τὰ ἱερὰ δρῶσι, καὶ διὰ τοῦτο οἱ ἀπὸ Ἡσύχου θύουσιν αὐταῖς, καθάπερ Πολέμων ἐν τοῖς πρὸς Ἐρατοσθένην φησίν, οὕτω · ʽτὸ δὲ τῶν Εὐπατριδῶν γένος, ὃ μετέχει τῆς*

---

[1]) Cf. Lobeck, Aglaoph. p. 1251. — Preller, *Demeter* p. 361 sqq.

θυσίας ταύτης᾽ · εἶτα ἑξῆς · ‛τῆς δὲ πομπῆς ταύτης Ἡσυχίδαι, ὃ δὴ γένος ἐστὶ περὶ τὰς Σεμνὰς Θεὰς καὶ τὴν ἡγεμονίαν ἔχει · καὶ προθύονται πρὸ τῆς θυσίας κριὸν Ἡσύχῳ ἱερὸν ἥρῳ, τοῦτον οὕτω καλοῦντες διὰ τὴν εὐφημίαν᾽ κτλ. Ad hunc locum Prellerus adnotat: ‛Huic (sc. Hesycho) *προθύονται πρὸ τῆς θυσίας*, nam solebant Graeci, antequam ipsis diis sacrificarent, iis heroibus praelibare, a quibus vel sacrorum vel gentis sacrae origo repetebatur, veluti Euryto in mysticis sacris apud Andaniam factis, Paus. IV, 3, 6; Aranti eiusque filiis ante Eleusinia Phliasiorum Paus. II, 12, 5.᾽ Recte sane et probatur exemplis a me supra adscitis; tamen artioribus finibus heroas ita honoratos vir ille summus circumscripsit. Id enim confidentissime adfirmari debet omnes eos heroas, qui aliqua ratione cohaererent cum numine aliquo, antecendente cultu fructos esse. Quod facile illustrari potest.

Amyclis Hyacinthiorum festo die priusquam Apollini sacra pararentur, Hyacintho dei amasio *ἐναγίσματα* in aram, in qua sepultus erat, demittebantur [1]); Lino sacrificabatur in Helicone antequam Musis [2]), ut praetermittam heroem Myiagrum [3]). Ita Galinthiadi Thebanos ante Herculis sollemnia sacrificasse Antoninus Liberalis tradit [4]). Connidae paedagogo Thesei Athenis proximo ante Theseorum festum die aries immolabatur; cf. Plut. Thes. 4: *(Θησέα) τρεφόμενον δὲ ὑπὸ τοῦ Πιτθέως ἐπιστάτην ἔχειν καὶ παιδαγωγὸν ὄνομα Κοννίδαν, ᾧ μέχρι νῦν Ἀθηναῖοι μιᾷ πρότερον ἡμέρᾳ τῶν Θησείων κριὸν ἐναγίζουσι* [5]). Unus tantum mihi occurrit locus, ubi herois cultus non ante, sed post dei festum actus

---

[1]) Paus. III, 19, 3: *καὶ Ὑακινθίοις πρὸ τῆς τοῦ Ἀπόλλωνος θυσίας ἐς τοῦτον Ὑακίνθῳ τὸν βωμὸν διὰ θύρας χαλκῆς ἐναγίζουσιν.*

[2]) Paus. IX, 29, 3: *Λίνος ἐστὶν ἐν πέτρᾳ μικρᾷ σπηλαίου τρόπον εἰργασμένῃ · τούτῳ κατὰ ἔτος ἕκαστον πρὸ τῆς θυσίας τῶν Μουσῶν ἐναγίζουσι.*

[3]) Paus. VIII, 26. 4. Plin. N. H. 10, 75. 29, 106. Clem. Alex. Protr. II, 39.

[4]) Anton. Lib. XXIX: *Ἡρακλῆς δ᾽ ἐπεὶ ηὐξήθη τὴν χάριν ἐμνημόνευσε καὶ αὐτῆς ἐποίησεν ἀφίδρυμα παρὰ τὸν οἶκον καὶ ἱερὰ προσήνεγκεν . ταῦτα νῦν ἔτι τὰ ἱερὰ Θηβαῖοι φυλάττουσι καὶ πρὸ Ἡρακλέους ἑορτῆς θύουσι Γαλινθιάδι πρώτῃ.*

[5]) Cf. Mommsen, *Heortologie* p. 280.

commemoratur: ap. Anton. Lib. IV. Cragaleus certaminis inter Apollinem Dianam Herculem de Ambracia urbe exorti arbiter factus Herculi urbem attribuerat. Itaque *Ἀμβρακιῶται Ἀπόλλωνι μὲν σωτῆρι θύουσιν, τὴν δὲ πόλιν Ἡρακλέους καὶ τῶν ἐκείνου παίδων νενομίκασι, Κραγαλεῖ δὲ μετὰ τὴν ἑορτὴν Ἡρακλέους ἔντομα θύουσιν ἄχρι νῦν.* Tamen non multum haec res pensi habet ad adlegata testimonia, quibus satis demonstrari heroum cultum numinis antecessisse non est, qui neget. Neque profecto mirum! Etenim cum heroibus vespertino tempore, quippe qui inferorum ritu colerentur, sacra offerrentur, quid aptius excogitari potest quam tale exordium sollemnium in dei honores institutorum, ut quae mane incipere solerent [1]).

Vides igitur sat magnum esse numerum eorum heroum, quibus una cum diis sacrificaretur neque sane suo cuique die natali [2]), sed deorum festo.

Sed aliud quid consideremus! Nam etiam id tibi in mentem venisse arbitror, cum quae laudavi, animo recolueris: illorum heroum cum diis coniunctorum ossa in numinum templis condita fuisse. Quibus de sepulcris extat locupletissimum Clementis Alexandrini testimonium (Protr. II, 45): *Ἐν τῷ νεῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἐν Λαρίσῃ ἐν τῇ ἀκροπόλει τάφος ἐστὶν Ἀκρισίου, Ἀθήνησι δὲ ἐν τῇ ἀκροπόλει Κέκροπος, ὥς φησιν Ἀντίοχος ἐν τῷ ἐνάτῳ τῶν ἱστοριῶν · τί δὲ Ἐριχθόνιος; οὐχὶ ἐν τῷ νεῷ τῆς Πολιάδος κεκήδευται; Ἴμμαρος δὲ ὁ Εὐμόλπου καὶ Δαείρας οὐχὶ ἐν τῷ περιβόλῳ τοῦ Ἐλευσινίου τοῦ ὑπὸ τῇ ἀκροπόλει; αἱ δὲ Κελεοῦ θυγατέρες οὐχὶ ἐν Ἐλευσῖνι τετάφαται; τί σοι καταλέγω τὰς ἐξ Ὑπερβορέων γυναῖκας; Ὑπερόχη καὶ Λαοδίκη κέκλησθον, ἐν τῷ Ἀρτεμισίῳ ἐν Δήλῳ κεκήδευσθον, τὸ δὲ ἐν τῷ Ἀπόλλωνος τοῦ Δηλίου ἐστὶν ἱερῷ. Λέανδρος δὲ Κλέαρχον ἐν Μιλήτῳ τετάφθαι ἐν τῷ Διδυμαίῳ φησίν · ἐνταῦθα τῆς Λευκοφρύνης*

---

[1]) Memineris ne nostra quidem memoria vespertinas dierum festorum introductiones esse inusitatas.

[2]) Id quod de omnibus fere heroibus statuere videtur Chr. Petersen, *Über d. Geburtstagsfeier b. d. Griechen.* Annal. philol. suppl. II p. 348.

τὸ μνημεῖον οὐκ ἄξιον παρελθεῖν ἑπομένους Ζήνωνι τῷ Μυνδίῳ, ἢ ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀρτέμιδος ἐν Μαγνησίᾳ κεκήδευται, οὐδὲ μὴν τὸν ἐν Τελμησσῷ βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος· μνῆμα εἶναι καὶ τοῦτον Τελμησσέως τοῦ μάντεως ἱστοροῦσιν. Πτολεμαῖος δὲ ὁ τοῦ Ἀγησάρχου ἐν τῷ α΄ τῶν περὶ τὸν Φιλοπάτορα ἐν Πάφῳ λέγει ἐν τῷ Ἀφροδίτης ἱερῷ Κινύραν τε καὶ τοὺς Κινύρου ἀπογόνους κεκηδεῦσθαι [1]). Facile est hanc seriem amplificare, tamen longum et inutile; atque summo iure Clemens pergit: *ἀλλὰ γὰρ ἐπιόντι μοι τοὺς προσκυνουμένους ὑμῖν τάφους ἐμοὶ μὲν οὐδ᾽ ὁ πᾶς ἂν ἀρκέσαι χρόνος.* Potius id quaerere iuvat, quae fuerint causae, cur illa monumenta ad deorum fana admitterentur. Ac statim apparet esse easdem, de quibus heroes in deorum festis colebantur; nam qui hac illave ratione cum numinibus nexi erant sive amore coniuncti sive pio erga deos animo excellentes sive alia de causa, eorum ossa digna habebantur, quae proxime ad deos quiescerent. Plerumque illae causae per se patent e fabulis, quibus de re edocemur, tamen fieri potest, ut omnia nos deficiant, neque quidquam reliquum sit, nisi ut concedamus nos causas nescire [2]).

Tamen id pro certo contendere licet causam, cur Graeci heroas in templis sepelirent, nunquam fuisse, quod ea re prohiberi putarent, quominus ossa auferrentur [3]), quippe quae essent salutaria. Tale quid si in animo habebant, tum potius monumenta celare solebant, ita ut ʻduntaxat indigenis nota aut ne his quidem omnibus sed solis sacerdotibus aut magistratibus consciaʼ essent [4]). Semper autem summus honos splendidumque praemium habebatur talis post obitum sepulcri participem fieri. Quae res dilucide probatur eo, quod Plutarchus (Arist. XX) de Euchida narrat, qui, ut Delphis sacrum ignem Plataeas apportaret, cum uno die mille stadios percurrisset, in

---

[1]) Quem locum mutuatus est Arnobius, Adv. Nationes VI, 6.

[2]) Ut unum adferam, plane obscuratae sunt causae, cur Pyrrhus Epirota in Cereris templo conditus sit (Paus. I, 13, 7). Nam quod auctor adicit Argivos regem a dea illa interfectum esse adfirmare, id posteriorem inventionem sapere videtur.

[3]) Sicut putavit Ohlert, *Beiträge zur Heroologie* II p. 22.

[4]) Lobeck, Aglaoph. p. 282 sq.

ipso adventu mortuus erat. Itaque ut praemio eum ornarent, *οἱ Πλαταιεῖς ἔθαψαν ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Εὐκλείας Ἀρτέμιδος* [1]) *ἐπιγράψαντες τόδε τὸ τετράμετρον*

Εὐχίδας Πυθώδε θρέξας ἦλθε τᾷδ᾽ αὐθημερόν.

Quo cum sepeliendi honore etiam religionem coniunctam esse docet Pausanias (IX, 17, 1), ubi verba facit de Androclea et Alcida Thebanis virginibus, quae, ut patriam conservarent, sibi ipsae mortem consciverant. Qua de causa in *Ἀρτέμιδος Εὐκλείας* templo conditae *τιμὰς ἔχουσι.*

E disputatis denique, ut breviter complectar, quae lucrati sumus, haec habeo. Saepissime deorum sacerdotes in heroum numerum consecrabantur. Religio, qua fruebantur, iis sicut omnibus, qui cum diis coniuncti putabantur, deorum festis diebus pro prooemio offerebatur; sepulcra autem eorum in deorum fanis collocabantur.

---

[1]) De hoc numine cf. Preller, *Gr. M.* I, 249.

VITA.

Natus sum Carolus Iulius Henricus Wassner Haderslebiae a. h. s. LIX die III mensis Decembris matre Adelheid e gente Karsten patre Eduard, quibus optimis carissimisque adhuc superstitibus vehementissime gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Urbis patriae gymnasii, quod etiamnunc Petro Iessen viro humanissimo rectore illustrissimo floret, disciplina per novem annos usus vere anni LXXVIII maturitatis testimonio instructus academiam Christianam Albertinam Kiliensem adii. Semestribus duobus post Bonnam profectus sum, cuius almae Musarum sedis per ter sex menses fui civis. Tum per hiemem Berolini commoratus vere anni LXXXI Kiliam redii.

Docuerunt me viri clarissimi Blass Erdmann Foerster Forchhammer Haupt Leo Möller Pfeiffer Pietsch Pischel Sterroz Stimming Thaulow † Volquardsen Kilienses; Aufrecht Bücheler Kekulé Usener Wilmanns Bonnenses; Curtius Furtwängler Hübner Kirchhoff Müllenhoff Robert Vahlen Berolinenses. Ut in seminarium philologorum Kiliense reciperer, cuius per annum fui sodalis ordinarius, Foersteri et Forchhammeri benevolentia factum est. Exercitationibus suis ut interessem, benigne concesserunt philologis Blass Leo; archaeologicis Furtwängler Kekulé Robert; theodiscis Müllenhoff Pfeiffer Pietsch Stimming Wilmanns; sanscriticis Pischel; grammaticis Möller; philosophicis Erdmann.

Quibus viris omnibus summam habeo gratiam semperque habebo. Imprimis vero Blass Erdmann Foerster Pischel

Kilienses, Bücheler Kekulé Usener Bonnenses, Curtius Müllenhoff Berolinenses, quorum saepissime fructus sum auxilio et benevolentia insigni, me sibi devinxerunt in perpetuum, neque unquam eorum egregiae in me atque eximiae benignitatis animus immemor erit.

Kiliae autem virorum humanissimorum Henrici Chalybaeus, iur. utr. doctoris, nunc Hannoverae senatus ecclesiastici consiliarii, et Theodori Hansen, nunc Oldenburgae verbi divini ministri et secreti ab ecclesiastico senatu consiliarii, consuetudine usus sum incomparabili. Qui viri illustrissimi non solum studiis meis ingentem omni tempore admoverunt stimulum, verum etiam tam egregie de toto meo animo excolendo sunt meriti, ut neque dictis neque factis me unquam satis dignas iis gratias agere posse certo sciam.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Hesiod. Scut. vv. 30—34, 42—47, 53—56 poetae, qui huius carminis prooemium panxit, abiudico. — Lehrsii sententia (*Popul. Aufsätze* ²p. 427 sqq.), qua alteram, quae vocatur, recensionem vv. 48. 49. 55. 56. 52 contineri statuit, probari non potest.

II.

Aeschyl. Eumen. vv. 22—27 hunc in ordinem redigendi sunt: 24. 25. 26. 22. 23. 27.

III.

Antiphont. VI, 19 delendum est *ἐξ ὧνπερ*. Reiskius apodosin deesse putavit.

IV.

Catull. LXIII, 85 cum codd. lego:

ferus ipse sese adhortans rapidum incitat animo.

Heyse: animum.

V.

Polluc. X, 168 legendum: *ἡ δὲ ἁμαξὶς ἁμάξιον μικρὸν καὶ παίγνιον τοῖς παιδίοις*; codd.: *καὶ παίζειν*. Cf. Eustath. ad *M*, 450 p. 913, 50.

VI.

In vase Nolano, quod Flasch, *Arch. Zeitg.* 1880. tab. XII, 1 edidit, non Phineus deos adorans repraesentatus est, sed sacerdos quidam deos ad cibariorum sacrificium invitans.

VII.

Gudrun 1235, 3 scribendum:

umbe ein ingeſinde, daȥ kom in ditze lant.

codd.: '*hergeſinde*', quod irrepsit ex sequentibus:

her kom ein geſinde, des iſt nû langiu sſtunt.
in ſtarker herverte brâhte mans in ditze rîche.

Cf. 1004, 2. 1009, 4. 1216, 3.

VIII.

Kantius (*Kritik der reinen Vernunft* p. 85) antiquorum de arte dialectica sententiam parum recte interpretatus est.

TYPIS AUGUSTI HOPFER BURGI.

